



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XXXIX. In Tit. XXXIX. De Censibus, Exactionibvs, Et
Procvrationibvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

acti competeret ex vero titulo fundationis. &c. Nam per hanc clausulam non habet aliud, quam quod sit ex privilegio tale; & sic sepius declaratum esse à Sacra Congreg. refert Garcia p. 7. de beneficio c. 9. a n. 17. Hæc tamen intellige, si competat ex

privilegio *merè gratuito*; secus, *oneroso*; huic enim per clausulam generalem non derogatur ex dict. alibi, præsertim, cum talis causa, vel titulus onerosus æquiparetur dotationi, vel fundationi sic Castropal. cit. n. 13. & alii.

QVÆSTIO XXXIX.

IN TIT. XXXIX. DE CENSIBUS, EXACTIONIBVS, ET PROCVRATIONIBVS.

3344 **H**oc titulo jus Canonicum continuar agere de servitutibus, seu oneribus Ecclesiæ imponi solitis; postquam enim egit de jure patronatus (quod est quædam servitus; cum eo titulo Ecclesiæ certis hominibus subji- ciatur ad recipiendum Clericum ex præsentatione Patroni, quæ cæteroquin libera foret) agit nunc de Censibus, Exactionibus, & Procurationibus, quæ quandoque multum onerant Ecclesiæ, si immoderate illis imponantur; quibus, ut summi Pontifices debite prospicerent, multa illis oportuna remedia constituerunt, de quibus in seqq. Accedit & altera ratio hujus ordinis; nam ex hoc, quod Patronus, vel Advocatus Ecclesiæ, in ejus fundatione, vel donatione, ab initio sibi auctoritate Episcopi, reservare soleat certos redditus annuos, & census moderatos, agitur hic de censibus aliisque præstationibus, & tributis.

ARTICULUS I.

De Censibus.

3345 **C**ensus, generaliter acceptus, significat, quid quid annuatim penditur; strictè verò, ac specificè hic significat onus reale, impositum Ecclesiæ, vel locis piis solvendum, vel superioribus ut Episcopo in signum subjectionis, vel eorum Advocatis, ratione protectionis; solvitur quandoque in pecunia numerata, quandoque in re alia, secundum quod in principio constitutum est c. olim. 20. h. t. Ex hoc colliges, quod ex solutione census non resultat, ac determinatè concludatur *subjectio*;

Tom. III.

cum fieri possit alio titulo v.g. protectionis, exemptionis &c. arg. c. *Præcipimus* 8. de privil. ubi dicitur, per solutionem census, quæ sit Romanæ Ecclesiæ, non probari exemptionem à jurisdictione Episcoporum, nisi aliunde colligatur, fieri titulo subjectionis; quo sensu accipiendum est c. 2. h. t. ubi habetur, quod *prestare tributis* sit probatio subjectionis, quæ nimirum exhibent Ecclesiæ suo prælato, quamvis 40. annis contra hoc jus Episcopale præscribere possint. *Abb. inc. 20. & pen. h. t.*

Not. autem 1. censum, solito majorem, 3346 non debere imponi Ecclesiis; nec antiquum augeri, ut dicitur c. 3. & 7. h. t. Cum enim quidam Presbyter (hic Episcopum intelligi rectè probat Panormitanus) Monasterio Massæ novas consuetudines vellet imponere, Abbate super hoc Gregorio Pontifici conquerente; iste rescriptit, mandando: *quatenus, si ab initio hoc non fuerit, etiam labentibus temporibus aliquid noviter imponi, non permittas.* Constat hoc ipsum ex *Concil. Lateran. relato c. 7. h. t.* ibi: *prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatibus novi census imponantur Ecclesiis; nec veteres auquantur; nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant; sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent; Si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur;* Sed de hoc plura in seqq.

Not. 2. in novi census impositionem, 3347 quæ fieret Ecclesiis, horum Rectores con-

Ecc ee a

ica.

sentire non posse sine Dicecesani auctoritate; colligitur i. ex c. *Præterea* 8. *h. t.* ibi: *qui, ignorante Episcopo, auctoritate suâ pensionem annuam de Ecclesiis quadam illusionem solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis non sunt aliquatenus audiendi, si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem, & assensum super hoc, non intervenisse, constiterit.* Non enim simplices sacerdotes, vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsumunt, auctoritate suâ (præsertim post decessum suum) efficere censuales. Ex quo habetur, quod Prælati, seu Rector Ecclesiæ non possit, præsertim post mortem, Ecclesiam suam propria auctoritate constituere censualem. Cui suffragatur c. *Cum Clerici*, 11. *eod.* ubi dicitur, Clericos, qui per collusionem constituunt Ecclesiam censualem, ab iis Ecclesiis, appellatione remota, sine dilatione removendos esse.

3348 Not. 3. si contingat, aliquem debere jurare, seu juramento promittere solutionem novi census alteri faciendam, recipientem teneri ad remittendum ejusmodi juramentum, ex c. *significavit*, 13. *h. t.* ubi, cum Thomas Rector Ecclesiæ de Fullis, Religiosis quibusdam de solvendo annuo censu trium marcarum, quas prædecessor ipsius solvit, præstitisset juramentum, idque, ne faceret, Episcopus interdixisset, nisi constaret censum Episcopali auctoritate constitutum esse. Mandat Pontifex, si censum auctoritate Præsulis non de novo impositum fuisse constiterit, prohibitionem relaxari: Si verò census de novo sit impositus, sive auctoritate Episcopi factum fuerit, sive non, Monachos compelli, ut Clericum à juramento absolvant.

Idem habetur in c. *Gravis*, 15. *eod.* ubi, Cum Patroni Clerici nollent quemquam præsentare, nisi novum censum Ecclesiis imponerent, aut veterem contra Concilium Lateranense relatum c. 7. *§. prohibemus sup.* auferent, sub juratoria, aut fidejussoria cautione præstandâ ad solutionem cogentes, mandat Pontifex, quacunque post dictum Concilium contra ipsius decretum super Ecclesiis, vel eorum censu attentata in irritum revocari, & Presbyteros ab illicito juramento absolvi, ac transgressores deinceps canonicè puniri. Ex quo vides, quòd, licet in principio,

cum aliquis fundat, construit, vel dotat Ecclesiam, possit cum consensu ordinarii reservare sibi aliquid annuatim, vel certis temporibus præstandum ab Ecclesia; Secus tamen esse post foundationem; & cum supra diximus, in constitutione census, Ecclesiis impositi ab eorum Rectoribus, debere intervenire consensum Episcopi, debere intelligi, *de necessitate*; sed non *sufficientia*, saltem quando constitutio census importaret alienationem sine juris solemnitate, prohibitam juxta *dist. sup. tit.* 13.

Not. 4. definitionem census à nobis ibi 3349 restrictam esse ad censum Ecclesiis impositum; quia verò census in tota latitudine suæ significationis aliquando importat estimationem patrimonii in hunc finem factam, ut inde annuum tributum solvatur, de quo censu extat titulus 15. *lib.* 50. Digestorum, & ejus discussio pertinet ad jus publicum; aliquando autem tributum solvendum in recognitionem subjectionis, jurisdictionisve alterius; aliquando verò pensionem solvendam titulo constituto ex aliis causis v. g. alicujus contractus: ideo census universim loquendo dici potest: *jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius*; ubi adverte, quòd is, qui tale jus habet, vocetur *Censualista*; qui verò pensionem debet, vocetur *Censuarius*, qui in hoc contractu est venditor, quia vendit Censualista jus exigendi annuam pensionem; quamvis communiter vocari solet alter *Creditor*; alter *debitor*, & est modus loquendi expeditus.

Not. 5. quando census constituitur in 3350 aliqua re corporali, ac immobili, fundo v. g. dominium ejus rei tam directum, quam utile esse penes Censuarium; non autem Censualistam; quo differt ab emphyteusi; nam in hoc dominium rei directum non manet penes emphyteutam, sed eum, cui iste pensionem debet, præterquam, quòd Censuarius ob non solum censum non amittat jus suum, sicut emphyteuta ob non solum canonem, item, quòd Censuarius etiam irrequisito Censualista possit vendere rem censualem, & non teneatur ad laudemium: Secus emphyteuta, hic enim & tenetur ad laudemium, & rem emphyteuticam irrequisito domino vendere non potest, ut suo loco diximus sup. his in genere præmissis: *§. 1.*

§. 1.

Quotuplex sit census?

3351 **C**um *Census* sit jus percipiendi pensionem in fructibus, vel in pecunia, (nam in constituto censu Censuarius obligationem habet solvendi pensionem, & Censitor jus illam exigendi) hoc autem jus variis modis constituitur, & juxta illorum diversitatem species censuum multiplicentur (de quibus *in seq. à num. 3357.*) in presenti solum dabimus magis notas censuum species ex communi census divisione, quæ primò est in censum reservativum, & consignativum. *Reservativus* est, quando quis suum fundum pleno domini jure in alium transfert reservatà sibi annuâ pensionem ex eodem fundo, in quo contractu nulla intervenit emptio, aut venditio, sed potius est contractus innominatus, *do, ut des*, aut permutatio, de qua loquitur lex ultima C. de rerum permutat. ea lege rebus donatis Candido, ut quod placuerat, menstruum, seu annuum tibi præstaret; hujusmodi conventio non nudi pacti nomine censetur, sed rebus propriis dictæ legis substantiâ munia tur ad implendum tibi placitum (sicut postulas) præscriptis verbis competit actio: *Consignativus* autem, cum quis contractu aliquo alteri constituit, ac designat jus ex re sua, redditus annuos percipiendi. Porro, quia frequentius solet hujusmodi jus emi pecuniâ, de hac ratione constituendi maximè hoc loco agitur, quia est species emptionis, quando v.g. 1000. florenis emio jus percipiendi annuatim ex tuo fundo. ro. scaphas frumenti.

3352 **S**ecundò census consignativus subdividitur in *realem*, & *personalem*; *Realis* fundatur in re, quam obligatio ita perpetuò comitatur, & immediatè afficit, ut etiam redundet in personam; *Personalis* est, quæ cadit immediatè super personam, quæ obligatur ad pensionem; nec illi obstat, si superveniat alter contractus hypothecæ. Ex hoc fit esto res pereat, quæ in hypothecam Censualistæ data est, non perire censum personalem superstitè personâ Censuarii; Secus si census sit realis, & iste, cum fundetur in re, ad quemcunque hæc transeat, eo ipso transibit cum suo onere.

3353 **A**ltera subdivisio census Consignativi, ratione pensionis, est in *fructuarium*, ex

quo scilicet debentur fructus; & *pecuniarium*, ex quo debetur pecunia: tertia ratione temporis in *perpetuum*, & *temporalem*, ille in *redimibilem*, & *irredimibilem*: temporalis in eum, qui fit ad *certum* tempus, v.g. 10. annorum, & in eum, qui fit ad tempus *incertum*, v.g. ad vitam unius, vel duorum, & dicitur *vitalitius*. Quarto in censum *certum*, & *incertum*; certus est, cum determinatè pecuniæ summa, vel fructuum mensura constituitur in pensionem; incertus cum indeterminata, v.g. tertia, vel quinta pars fructuum constituitur solvenda: hic autem modus non est licitus nisi in censu reservativo.

Sub prædictis continentur, *Affictus*, seu *Fictus*, *Albergaria*, & census ignorantia. *Affictus* (alio nomine *Fictus*) habetur c. *Pisanis*, de *rescri. spol. &* ut videtur est apud *Bald. in tit. de pace Constan. &* c. *ad audientiam*, de *prescript. &* *Specul. de locat. &* *conduct. §. sequitur in princ.* vulgaris vox est Lombardorum, & significat censum, qui solvitur ratione prædiorum conductorum. Unde *affictare*, est locare ad fictum, & ad firmum. *Albergaria*, ut habetur in c. *ad audientiam*, de *rescript.* sunt procurationes, quas ceteræ villæ debent dominis suis ad eas venientibus; seu juxta *Glossam* ad c. *Præterea*, de *jure Patron.* sunt census, qui debentur pro comestionibus: de hoc *V. num. supr. 3351. census ignorantia*, est ille, cuius causa ignoratur; de quo *Sylv. V. Gabella. 2. num. 15.* ubi querenti, an solvi debeat? respondet negativè.

3355 **E**x observatione harum *census* divisionum, sequitur, si res, subjecta censui reali, vendatur à Censuario, non esse in arbitrio Creditoris, seu Censualistæ, an velit immediatè convenire novum possessorem, seu Emptorem, an venditorem? hunc enim deinceps convenire non poterit, nisi in casu, quo teneretur de evictione; sicut enim res à priori censuario seu venditore translata est in novum possessorem, seu emptorem, sic & onus infixum rei, seu reale, nam res transit cum onere.

3356 **S**equitur 2. censui consignativo non posse adici pactum legis Commissoria, nimirum, ut Censuarius, si pensionem non solvat, committat, seu perdat dominium rei, ex qua census est solvendus; quia cum Censualistæ non det Censuario dominium rei

rei subjectæ censui, sed pretium minus, quàm ipsa res valeat; si pactum illud ipsius rei amittenda adjici legitime posset, staret pactum legitimum super re iniqua, quod dici non potest; aliud autem est in censu reservativo, ubi Censuario totum rei dominium donat. Censualista, reservato solum censu annuo. Censu porro temporalis constitutus ad longum tempus, numeratur communiter inter bona immobilia; Secus, ad tempus breve; nimirum minus decennio, & de illo videtur loqui Clementina Exivi. de V. s. Cumque annui; quando dicit, annuos census inter immobilia censerî à Jure.

§. 2.

Quæ conditiones servandæ sint in Constitutione census.

3357 **A**D istas debite proponendas not. sa-
pius controversum fuisse, an contra-
ctus census consignativi licite celebrari,
vel constitui possit? quibusdam existiman-
tibus, non posse sine usura, quæ jure divi-
no, & humano illicita est. Ad hanc dubi-
tationem dissolvendam plures Bullæ
Pontificum, Calixti III. Nicolai V. & Pii V.
emanarunt. Ex his Bullæ Pii V. in ordine
80. An. 1568. edita, sic habet: Cum mu-
nus Apostolicæ Servitutis obeuntes cog-
noverimus, innumeros celebratos fuisse,
& indies celebrari *censuum contractus*,
qui nedum non continentur intra limites,
à nostris Antecessoribus eisdem contracti-
bus statutos; verum etiam (quod dete-
rius est) contrariis omnino pactioibus,
propterea ardentem avaritiæ stimulum, le-
gum etiam divinarum manifestum con-
temptum præ se ferunt: non potuimus ani-
marum, prout tenemur, salari consulen-
tes, ac piarum mentium petitionibus etiam
satisfacientes, tam gravi morbo, lethifero-
que veneno, salutari antidoto non me-
deri.

3358 **H**ac igitur nostrâ Constitutione statui-
mus. 1. censum, seu annum reditum crea-
ri, constitui nullo modo posse, *nisi in
re immobili, aut quæ pro immobili ha-
beat, de sui natura fructifera, & quæ
nominatim certis finibus designata sit.*
2. rursus non nisi verè in pecunia nu-
merata, presentibus testibus, ac Nota-
rio, & in actu celebrationis instrumen-

*ti, non autem prius recepto integro, ju-
stoque pretio.* 3. solutiones, quas vulgo
anticipatas appellant, fieri, aut in pa-
ctum deduci, prohibemus. 4. conventio-
nes, directe, aut indirecte obligantes ad
casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura
contractus non tenetur, nullo modo vale-
re volumus. 5. Quemadmodum nec pa-
*ctum auferens, aut restringens faculta-
tem alienandi rem censui superpositam*,
quia volumus rem ipsam semper, & liberè,
ac sine solutione laudemii, seu quinquag-
gesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei
tam inter vivos, quàm in ultima voluntate
alienari. 6. Ubi autem vendenda sit, vo-
lumus *Dominum census aliis omnibus
preferri*, eique denuntiari conditiones,
quibus vendenda sit & per mensem exspe-
ctari.

Septimò *pacta* continentia morosum
census debitorem teneri ad interessè lucri
cessantis, vel ad cambium, seu certas ex-
pensas, aut certa salaria, seu expensas me-
dio juramento creditoris liquidandas, aut
rem censui subjectam, sive aliquam ejus
partem amittere, aut aliud jus ex eodem
contractu, sive aliunde quæsitum perdere,
aut in aliquam poenam cadere, *ex toto ir-
rita sint, & nulla.* 8. imò, & censum
augeri, & novum creati super eadem vel
aliare in favorem ejusdem, aut personæ
per eum suppositæ pro censibus temporis,
vel præteriti, vel futuri, omninò prohibe-
mus. 9. Sicut etiam annullamus pacta
continentia solutiones onerum ad eum
spectare, ad quem aliàs de jure, & ex natu-
ra contractus non spectarent.

Postremò: census omnes in futurum
creandos non solum re in totum, vel pro
parte perempta, aut infructuosa in totum,
vel pro parte effecta, volumus *ad ratam
perire*, sed etiam posse pro eodem pretio
extingui, non obstante longissimi etiam
temporis, ac immemorabili, imò centum,
ac plurium annorum præscriptione, non
obstantibus aliquibus pactis directe, aut in-
directe talem facultatem auferentibus,
quibuscunque verbis, aut clausulis conce-
pta sint. Cum verò traditione pretii red-
ditus extinguendus erit, volumus *per bi-
mensem ante id* denuntiari ei, cui pretium
dandum erit, & post denunciationem, in-
tra annum tamen, etiam ab invito pretium
repeti posse, & ubi pretium nec volens
intra

intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quodocunque reditum extingui posse, præviâ tamen denunciâ, de qua supra, & non obstantibus his, de quibus supra; idq; observari mandamus, etiam, quod pluries, ac pluries denunciâtum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset; pacta etiam continentia pretium census, extra casum prædictum, ab invito, aut ob penam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus; *contractusque sub alia forma posthac celebrandos, fœneratitios* iudicamus; & ita, illis propterea non obstantibus, quid quid vel *expressè*, vel *tacitè* contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vindicari.

3361 Et subiungit: hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter *recreando*, verum etiam in *creato* quocunque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò, & in omnibus servari volumus, declarantes, *pretium, semel censui constitutum, nunquam posse* ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad ultimò contrahentes minui, vel augeri; & licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ bonorum Religiosorum subijciant, & animarum saluti consulant, non obstantibus quibuscunque, &c.

3362 Circa istam Pii V. constitutionem, cum primis agentem de his, quæ necessaria sunt, ut valida, licitaque sit emptio census, not. 1. distinguendum esse inter conditiones in ea præscriptas; quædam enim sunt requisitæ *jure naturali, & divino*; quædam autem *solo jure Ecclesiastico*; hinc in quæstione, (num illæ constitutiones Pontificum in hac materia, præsertim Pii V. ubique & omnes obligent?) Difficultas solum est de his, quæ jure solum humano requiruntur; nam de requisitis jure naturali, & divino, difficultas esse non potest; cum hoc jure omnes omnino homines obligentur. Not. 2. constitutionem Pii V. latam esse *propter præsumptionem usurarum* quæ in his contractibus, & obligationibus intercedere solent, prout colligi-

tur ex illis verbis: omnes alios contractus posthac sub alia forma (quam præscriptâ) celebrandos *fœneratitios* iudicamus; ubi nota, non dici *fœneratitios esse*, sed tantum *fœneratitios iudicamus*.

Cæterum circa hujus constitutionis 3363 vim obligandi in omnibus terris fidelium, quoad conditiones jure solum Pontificio requisitas, non conveniunt Doctores; quidam enim indefinitè affirmant, ubique obligare, ita complures, quos refert Castropalaus tom. 7. de *just. commut. D. 6. p. 15. n. 5.* alii negant, & 1. excipiunt ab ejus obligatione Hispaniam, ut habetur *ibidem num. 6.* alii excipiunt omnes illas terras, in quibus constitutiones illæ non sunt publicatæ, volentes non sufficere unicam Romæ factam publicationem, & propterea excipientes ab illa obligatione, Belgium, Germaniam, Galliam, & Siciliam; ita Lessius *l. 2. de just. c. 22. dub. 13.* sententiam hanc satis probabilem censente Castropalao *loc. cit. num. 6. §. Præterea.*

Quid porro secundum ea, quæ tradidimus *l. 1. tit. 2. de constitut.* in presenti materia dicendum? ex *ibidem* resolutis petendum est. Quæ porro conditiones in illa Pii V. Extravagante, juris tantum humani sint? colligi poterunt, tum ex ipsius verbis à *num. 3357.* tum etiam ex dicendis, non enim dubium est, plura ex his, quæ continentur in hæc Pii V. constitutione, nec esse juris divini, & naturalis, neque ad observationem illius pertinere, etsi aliquo modo utilia videantur; uti sunt, ne census constituatur, nisi ex pecunia numerata coram tabellione, & testibus; ne possit redimi, nisi creditor bimestri ante redemptionem monitus fuerit, factaque denuntiatione necessario census redimendus sit, creditorque census omnibus aliis Creditoribus sit præferendus, & alia hujusmodi; sicuti advertit *Navarra. Comment. de usuris num. 105. & seq. Philarc. 2. p. sum. lib. 5. c. 17. Salon. 2. q. 78. a. 5. controvers. 4. & 5. Molina D. 392. conclus. 12. & favet Glossa in Clementin. dispendiosa. de judiciis, V. Usura.*

Not. 3. Cum dixerimus constitutionem Pii V. procedere ex præsumptione usurarum, dubitari posse, an ei locus sit etiam in foro conscientie, tametsi fallat in casu particulari? hoc est, licet census emptus sit non observatis omnibus conditionibus

nibus jure humano præscriptis, sic tamen, ut nulla penitus usura in eo particulari casu intervenerit? Haunoldus *tom. 4. tr. 10. n. 318.* censet affirmandum; quia lex illa non fundatur in præsumptione fallibili, fraudis fortè intervenientis in quovis particulari casu, sed in præsumptione moraliter infallibili, multarum fraudum, & usurarum, quæ fierent, nisi tales contractus penitus annullarentur; atque adeo talem contractum censualem, sicut matrimonium clandestinum, nullum esse vi legis non fundatæ in præsumptione fraudis in casu particulari, sed fraudum plurimum eventurarum. Contrarium tamen tenent Navarrus in *Comment. de usuris à n. 69. Valentia 2. 2. D. 5. q. 22. p. 2. Emanuel Saa. V. Censur. n. 2.* negantes in hoc comparisonem censûs, sine dictis solennitatibus, cum matrimonio simpliciter clandestino; nam licet utrobique lex procedat ex generali præsumptione fraudis, non tamen utrinque disponit eodem modo; nam de matrimonio expressè dicit, sic celebratum, *irritum esse*; de censu autem sic empto solum, *facere ratios judicamus*, ut notavimus *num. 3362.* magnum autem in hoc discrimen esse ostendimus *l. 2. tit. 23. de præsumptionib.* ubi de vi legis procedentis ex præsumptione.

3366 Not. 4. à nobis non negari, condiciones etiam jure solum Ecclesiastico præscriptas in emptione censûs esse substantiales, & earum omissione invalidari contractum, ubi ea constitutio in usum deducta est; sed solum juxta mentem dispositionis, nimirum in foro externo ante sententiam judicis; post autem etiam in foro poli, juxta dicta *l. 2. tit. 23.* Not. 5. Constitutionem Pii V. non procedere de quolibet censu; sed eo tantum, in quo est periculum usuræ, ubi nimirum non est titulus merè lucrativus, sed utrinque onerosus.

S. 3.

De singulis conditionibus, in particulari à Pio V. requisitis in constitutione censûs.

3367 **C**astropalaus *loc. cit. p. 15. num. 1.* numerat septem condiciones in particulari requisitas à Pio V. & contentas in dicta Constitutione, de qua *n. 3357.* alii plures; Haunoldus *cit. tom. 4. tr. 10. num. 150.*

planè undecim, ex quibus prima est: censûs non constituatur, nisi super re immobili, suâ naturâ, seu æquivalenter frugiferâ, & certis finibus designata; secunda, non celebretur, nisi numeratâ pecuniâ in actu celebrationis instrumenti coram Notario, & Testibus; tertia, ne pensiones anticipatæ deducantur in pactum; quarta, ne venditor censûs obligetur ad casus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractûs non tenetur; quinta, non fiat pactum restringens libertatem Censuarii, alienandi rem censui subjectam, & ne fiat pactum solvendi censitori laudemium.

Sexta, ut dominus rei censitæ, volens eam vendere, admoneat Censualistam, ut possit, si velit, eam emere eodem pretio, cumque aliis præferat, eo tamen recusante emere, poterit censuarius, uni, vel pluribus rem etiam divisam vendere, translato onere inemptores; quibus non solventibus, pensionem non tenetur venditor solvere; septima, ne valeat pactum, quod Censuarius morosus teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad aliam pœnam, vel ad amittendam rem censitam, vel ad expensas; octava, ne possit augeri censûs constitutus ex pensionibus jam debitis, non solutis; nona, semper liberum esse debeat Censuario, redimere censum, quando voluerit, refuso eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quocunque pacto, aut temporis lapsu: præmonito tamen Censualistâ duobus mensibus antè, ut supra explicatum est, à quo tempore potest post annum cogi ad redimendum; decima, Censuarius non sit cogendus absolute ad redimendum censum, nisi in casu jam relato; undecima, pretium censûs semel constitutum non possit augeri, vel minui ob circumstantias supervenientes.

Circa istas condiciones not. 1. probabilius esse, ex defectu unius conditionis requisitæ totum contractum censualem esse nullum, ubi constitutio Pii V. obligat ad servandam formam in ejusmodi contractu præscriptam; contractus enim *facere ratios*; qui talis prudenter judicari potest, est nullus, vel saltem non ita firmus, ut à Judice rescindi non possit; sed contractus censualis etiam sine conditione in constitutione Pii V. præscripta, prudenter judicari potest *facere ratios*, imò talis judicatur ab ipso Papa, ut constat ex *n. 3362.* ergo Not.

3370 Not. 2. in illis verbis Bullæ (*quid quid contra hæc mandata dari, aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vindicari*) non comprehendendi, nisi quorum acquisitio per donationem, vel remissionem Censuarii accederet Censualistæ contra prohibitionem dictæ constitutionis; ut, si Censuarius sponte, ac non invitus, illi pretium census remitteret, poenam, vel laudemium solveret, &c. dixi *spontè*; nam si ad hoc coactus esset, & ea sibi restitui vellet, fisco præferendus esset; quia tunc non pervenissent ad Censualistam donatione.

3371 Not. 3. quò majus est onus census *consignativi*, hoc majus exigi pretium, ut sit justum & ejus depositione census empro constituatur; nec enim solum onus pensionis præstandæ; sed etiam obligatio, quam Censuarius in se recipit, ultra illud æstimari debet; hinc quoniam census irredimibilis, est multo majoris oneris, quàm redimibilis, majus utique pretium exigitur, ut sit justum, & ille, quàm iste constituatur; cum verò census constitutus alicui, ut redimi quidem possit, sed non nisi *tali moneta in specie*, multum accedat ad censum irredimibilem, utique majus hoc casu esse debebit, quàm si careret hoc onere.

3372 Potest autem onus non redimendi censum, nisi in tali, vel in eadem specie moneta, dupliciter considerari, primò, ut intelligatur identitas pretii non tantum in auro, seu materialiter; sed etiam formaliter, nimirum in auro tanti valoris quoad æstimationem, esto non quoad numerum; secundo eadem quoad aurum, & numerum; primum fieret, si quis censum emisset centum aureis Ungaricis, quolibet valente tres florenos rhenenses, cum pacto, ne iste census redimi possit, nisi Censuarius deponat in aureis Ungaricis tot, quot adæquant summam illorum 100. nimirum trecentos florenos; quo casu Censuarius censum justè redimeret dando quinquaginta aureos Ungaricos in specie, si valor singulorum interim crevisset in duplum; sic enim ista quinquaginta, quorum quilibet nunc valet 6. fl. adæquarent in summa secundum æstimationem illos centum, quorum quilibet valebat tres solum rhenenses. secundum autem, si quis censum emisset centum aureis Ungaricis in specie,

Tom. III.

cum pacto, ne talis census redimi possit, nisi Censuarius deponat in aureis Ungaricis eundem etiam specie numerum aureorum, esto valor interim crevisset, quibus positus:

Dicendum videtur, secundum casum 3373 census non redimibilis, nisi servata identitate moneta, non esse jure naturæ irritum, si periculum sit æquale quoad futurum incrementum, vel decrementum valoris in moneta, quia sic quilibet contrahentium in se recipit æquale onus, modo in cæteris sit pretium justum; an autem pretium eo titulo (quòd census redimi non possit, nisi servata identitate moneta) in constitutione talis census debeat esse majus secundum proportionem oneris (quòd hoc casu in se recipit Censuarius) mihi videtur affirmandum ex dictis; nec etiam census talis, sub prohibitione Bullæ videtur comprehensus; nam cum hoc fiat, quòd Censuarius semper possit censum redimere illo pretio, quo vendiderat.

S. 4.

Qualiter, ut dictæ Bullæ census constitui debeat in re immobili, certa, & frugifera?

Hæc est prima conditio in Bulla Pii V. 3374 ad constituendum censum consignativum, ut constat ex *num. 3357.* ubi tamen nota, ibi dici: *nisi in re immobili, aut que pro immobili habeatur*; quo posito quaestio est 1. an Censualista possit alteri constituere reflexè censum in suo censu directo, quem v. g. habet in bono immobili alterius? saltem, quantum est ad hoc, ut verificetur, quòd sic *constitutus in re immobili, vel que pro immobili habeatur* censum immobilibus annumerari videretur dici *clement. Exivi de paradiso, §. cumque annui redditus, de verb. signif.* ibi: *cumque annui redditus inter immobilia censeantur a jure &c.* ita Cutierrez *practicar. l. 2. q. 146. num. 1.* & alii cum Barbosa *in cit. Clement. num. 15.* ex quo ad factam quaestionem videtur affirmandum, non tantum quando census irredimibilis est, sed etiam redimibilis, sic tamen, ut hoc redempto Censualistæ reflexo constituatur in alia re immobili, vel hoc prætermisso extingueretur census ille reflexus. Cæterum in dato casu verificantur etiam alia

FF ff

duæ

duae particulae huius conditionis, nimirum, quod census alteri à censualista constitutus sit *in re certa*, & *de sui natura frugifera*; nam census ille directus determinatus est, & natura sua frugifer annuae pensionis.

3375 *Questio est 2. an per illam primam conditionem in num. 3374. excludatur census alicui constitutus in omnibus bonis Censuarii, praesentibus, & futuris? 3. constitutus in pluribus rebus? 4. in omnibus bonis Censuarii praesentibus solum generaliter expressis? ad 2. r. quod sic; nam in casu, quo bona praesentia perirent, obligatio redundaret in personam, quae teneretur pensionem praestare ex bonis acquirendis. Ad 3. r. affirmative, modò existant, & sint determinatae; sic enim sub unum jus coadunari possunt. Ad 4. r. quod sic; quia in illis terminis generalibus subest periculum palliandi censum *personalem*, & in generali sermone nihil determinate venit.*

3376 *Questio est, 3. qualiter verificari debeat, censum esse constitutum in re frugifera? r. non sufficere rem, quae solum per accidens, & merà hominis industriam ferat fructum; sed requiri esse frugiferam naturam suam, hoc est, quod ferat fructum, naturam saltem principaliter operante; ratio est, quia id expressè ponitur in prima conditione, de qua num. 3374. sed reflexio facienda est, an istae qualitates rei, in qua constitui possit census consignativus juxta dispositionem Bullae Pii V. ad contractum censualem ex natura rei, an solo jure humano, eoque in hoc, vel illo loco receptae sint? juxta dicta à num. 3362. Nam stante constitutione illius Bullae reprobatum census personalis; sed solum juxta dicenda in seqq.*

§. 5.

Qualiter census consignativus vi Bullae Pii V. numerata pecunia constitutus sit?

3377 *EX num. 3358. constat, vi dictae Bullae requiri, quod, cum census emitur, id fiat numerata pecunia, & integro pretio persoluto confecto instrumento coram Notario, & Testibus. Constitutum hoc fuerat propter multas ceteroquin fraudes Emptorum, & damna venditorum, ubi isti pensiones integras solvere cogebantur,*

nulla, vel tantum parte, pecunia accepta. Circa istas igitur conditiones, vi dictae Bullae requisitas, questio est 1. an illae jure naturali necessariae sint? 2. si loco pecuniae res aliae darentur? 3. an auctoritate Judicis talis census imponi possit ad tempus moroso debitori? 4. an pecunia in praesenti numerata esse debeat, quando census ante constitutus legitime alteri venditur? 5. an emi possit numerata in praesenti pecunia, sed adjecto pacto, ut Censuarius (qui aliunde debet aliquid emptori) statim reddat pecuniam eidem ad extinguendum illud anterius debitum?

*Ad 1. r. non requiri ad istum contractum jure naturae, quod totum pretium venditori deponatur praesente Notario, & Testibus; nam sine his potest contractus emptionis, & venditionis esse perfectus quoad substantiam jure naturali, & gentium, ut constat ex tit. 17. Deinde, nec requiri jure naturae totum pretium deponi simul, ut constat in multis ejusmodi venditionibus, ubi venditor etiam suo commodo relinquit credito pretium apud Emptorem, maxime si pensio solvatur solum proportionata parti soluti pretii. Ad 2. r. quantum est de jure naturali posse censum constitui sine pretio, & emptione, puta permutatione, &c. consequenter jure naturae non requiri pecuniam pro tali censu constituendo; spectato autem jure Pontificio, census consignativum emptione non constitui valide, loco pecuniae, alia re data; cum Pontifex aperte declaret irritos ejusmodi contractus initos sine forma à se praescripta. Ad 3. r. quod sic; nam licet Pontifex expressè petat pecuniam numeratam; id tamen solum exigit pro constituendis censibus ex contractu; non autem illis, quae creantur sententia, testimonio, donatione. Ad 4. r. affirmative, ut patet ex ipsis Bullae verbis, ibi: *nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modò, post publicationem constitutionis, creatus sit, perpetuo, & in omnibus servari volumus.* Ad 5. affirmat Molina *D. 390. num. 2.* quia numerata pecunia de praesenti, maxime coram Notario, & Testibus, satisfaceret huic secundae conditioni à Pio V. requisitae, de qua n. 3358. alii tamen negant, volentes exigi pecuniam non utcumque numeratam de*

presenti, sed constitutam in libero usu venditionis, tanquam ejus Domini; quod non fieret in dato casu, cum per pactum restringeretur ad unum tantum usum, nimirum ad extinguendum ejusdem redditione debitum præexistens, sed fortè id non repugnat ejus dominio, dependenter à libero consensu domini, sic restricto, ut alibi diximus.

§. 6.

De reliquis conditionibus à Pio V. requisitis.

3379 Tertia conditio Pii V. pro constituendo censu ex contractu, est, ne adiciatur pactum anticipato solvendi pensiones, v. g. ne constituens censum pretio 100 M. pro annua pensione 5. fl. cum Censuario pacificatur de solvendo censu, datis 95. reservatis Censualistæ illis 5. aliàs solvendis, secluso hoc pacto, & dato integro pretio; nam isto pacto vitaretur contractus jure naturæ, propter inæqualitatem; plus enim reciperet Censualista, quam emerit numeratâ pecuniâ; nam census annuus 5. fl. valet 100. fl. ut ponit casus; & Censualista daret solùm 95. Ceterum, si contractui (per soluto integro pretio) adiciatur pactum solvendi dimidium censum post lapsum dimidii anni, nulla sit anticipatio jure naturali, vel hac constitutione Pii V. interdicta.

3380 Quantum ad quartam conditionem, de qua num. 3367. ne venditor consûs obligetur ad casus fortuitos, vel alia onera, quæ non cadunt sub obligationem ex natura contractûs, dicendum non prohiberi hic illa pacta, quæ naturâ insunt contractui; sed ea tantum, quæ naturâ non insunt; quale foret pactum, quo Censuarius se obligaret ad quoslibet casus fortuitos; ut Censualistæ solvat laudemium, ut alienare non possit rem censui subjectam. &c.

3381 Illa conditio, ut Censuarius volens rem censui subjectam vendere, prius admoneat Censualistam, ut is, si velit, possit eam emere pretio eodem, quo alius Emptor, non requiritur ex natura rei; & quamvis videatur præcipere, ut Censualista præferatur aliis emere volentibus, non tamen intelligendum venit etiam de illis, qui jure Retractûs eam emere possent; quia cum id non exprimat, non censetur Pontifex hac constitutione præjudicare voluisse juri quæsito aliis ex retractu, & favore Censualistæ.

Præter alia in dicta constitutione prohibetur etiam pactum assicurationis, nimirum etiam pereunte ipsâ re censui subjecta, solvendi censum; idque vel propter periculum usuræ, vel ne census iste realis transeat in personalem: ex natura tamen rei non videtur hoc pactum illicitum, modo pretium, quo census emitur sub tali onere, sit proportionatum valori census annui etiam pendendi pro tali eventu; quod utique ex natura rei majus esse debet, secluso tali pacto.

3382 Quoniam autem fieri potest, quod res censui subjecta fiat infrugifera, vel ex toto, vel solùm ex parte, plures in hoc casu dubitationes oboriri possunt; prima est, an si fiat infrugifera tantum ex parte, integer tamen census solvendus sit, si fructus sufficiant ei, deductis expensis? Duplex est sententia; prima negans, & docens censum tunc dividendum secundum proportionem partis frugifera ad rem totam censui subjectam; altera verò affirmans quam sequitur Haunoldus tom. 4. tr. 10. num. 334.

3383 In hac quæstione, dubitationi videtur seclum locus esse in casu, quo non constat, an partes convenerint de integro censu solvendo etiam pro tali eventu? si enim etiam pro isto casu convenissent, solvendus esset integer; si autem tantum juxta proportionem partis frugifera? secus.

3384 Quæstio igitur procedit in casu, quo neutrum constat, an scilicet totus census constitutus sit in toto, & totus in qualibet etiam parte? an totus in toto, & tantum pars in parte? Haunoldus cit. ait. sententiam negantem, solvendum esse etiam ex sola parte frugifera integrum censum in tali eventu, esse communem inter Theologos; hanc tamen communem doctrinam non esse ita fundatam, ut non potius in praxi contrarium tenendum sit, ob decisionem Rotæ Romanæ 30. Octobr. 1602. in qua definitur, redditus integros solvendos ex parte prædii remanente, si ejus fructus sufficiant, & de hoc intelligendam Bullam, quam responsionem Rotæ accepit summus Pontifex.

3385 Hæc resolutio videtur omnino stare pro sententia affirmante, etiam in eo eventu, pensionem integram solvendam esse, etiam

iam ex sola parte remanente frugifera; sed solum in casu, quo pretium est æquale pensionis valori, & superaddito oneri; pluris enim est teneri etiam ex parte solvere tantum, quantum ex toto; quam solum ex toto. Deinde non videtur posse admitti, ut in casu divisionis fundi (quo unus haberet unam, alter alteram partem) quilibet teneatur solvere tantam pensionem, quantum, qui habet totum; vix enim declinabitur usura; cum sic Emptor in duplo reciperet mercem, nisi vel pensio minuat; vel augeatur emptionis pretium; sed tunc sumus extra casum.

3386 *Questio est 3. an census solvi debeat, si res censui subiecta pereat, vel infœcunda reddatur dolo, vel culpa Censuarum? R. teneri, quam diu census non redimitur; poterit tamen redimere, si redimibilis sit; vel si irredimibilis, in alia re constitui. Censuarum enim non tenetur subire iacturam debiti ex alterius dolo, vel culpa. In casu autem, quo census redimitur, redimendus est eodem pretio, quo emptus, vel constitutus juxta Bullam Pii V. *supr. in n. 3358.* Advertendum tamen, redimibilitatem, non esse de substantia contractus censuales secundum se, & ex natura rei, cum aliæ res, iusto pretio emi ac vendi possint irredimibiliter.*

3387 *Dubitari tamen potest, an Pontifex in sua Bulla constituerit, ut omnes census, deinceps empto constituendi, redimibiliter constitui debeant, ut secus invalidi sint? an verò tantum, ut, si redimibiliter constituentur, pro redemptione non plus pretii, quam in constitutione datum sit, exigatur, & detur? R. si attendantur verba Bullæ, probabilius standum pro primo, nam vi eius semper liberum esse debet Censuario, redimere censum, quando voluerit, refuso eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quocunque pacto, vel temporis lapsu &c. de quo V. n. 3358. rejicitur ergo pactum, *ne unquam redimi possit etiam refuso eodem pretio, sed hæc conditio est tantum juris positivi ex præced. numero, de quo V. num. 3367.**

3388 *Questio est 4. an censui adjici possit pactum, redimendi censum in favorem Censualistæ? puta, ut pro arbitrio possit à Censuario repetere pretium, remissâ vicissim obligatione pensionis annuæ? R. Spectato jure naturali posse; cum res et*

iam alia vendi, ac emi possint sub pacto re-
lutionis, seu revenditionis deposito pre-
tio: sed jure positivo Bullæ (ut habetur
num. 3357. in conditione. 10.) Censua-
rius non est cogendus absolute ad redi-
mendum censum, nisi præmonitione duo-
bus mensibus antè facta. Et quamvis in
conditione 11. de qua *num. 3360.* dicatur,
pretium census, semel constitutum, non
posse augeri, vel minui ob circumstantias
supervenientes, hoc tamen intelligendum
est juxta *num. 3368.*

§. 7.

De emptione census realis.

Questio est, an licitum sit emere cen-
sum reale à nobis *num. 3352.* defi-
nitum? ratio dubitandi est, quia videtur
apertè usurarius, nam Censualista emens
censum in fundo alterius v.g. 100. fl. nu-
merata pecunia cum pacto, ut Censuarium
annuatim solvat 5. fl. hac ratione percipi-
ens censum per 20. annos, reciperet ultra
pretium (quod reddi deberet à Censuario,
si censum redimeret) totum etiam valo-
rem pretii, & hoc ex pacto ultra debitum;
at hoc apertè continet usuram 1. quia talis
emptio non est tam emptio, quam mutu-
um, siquidem dantur centum pro quinque
in singulos annos solvendis: at hæc quin-
que emi non possunt, quia pecunia em-
ptionis capax non est, sed mutui, ergo est
mutuum, at in mutuo recipi non potest
plus, quam datum sit, cum tamen per hanc
census constitutionem longè plus recipiatur,
recipiunt enim pensiones, quæ in
infinitum excedunt pecuniam receptam,
si census sit irredimibilis, si verò redimibi-
lis, ultra ipsas pensiones, debetur Sors: er-
go recipitur amplius, quam datum sit. De-
inde, esto demus, istum contractum con-
stitui emptione; Nam in istis contractibus
necessariò æqualitas inter datum, & acce-
ptum, hoc est inter pretium, & mercedem
servanda est; at, non servatur æqualitas,
siquidem pretio determinato v.g. centum
emis in censu irredimibili pensiones in-
finitum, in censu verò redimibili ipsas pen-
siones, dum sors integra non redditur: at
hoc excedit notabiliter pretium datum,
aliàs non esset usura mutare pecuniam
cum pacto, ut interim, ac non solvitur,
pensio censualis solvatur. Si autem dica-
tur

tur in tali casu non emi pensiones, sed jus ad pensiones, quod non videtur pluris aestimandum, quam ipsa pecunia; nam contra est, quia jus certum, ad pecuniam recipiendam, tanti aestimari debet, quanti aestimatur pecunia recipienda: at pecunia recipienda in singulos annos pluris valet, quam pecunia, quae de praesenti conceditur: ergo jus ad illam pecuniam recipiendam pluris aestimari debet; ergo hic contractus inaequalitatem continet.

3390. Verum hoc non obstante *re. censum* realem licite emi posse; ita communis, cuius ratio est, quia talis census, sub conditionibus in Bullis Pontificum praescriptis, etiam iure Ecclesiastico approbatur, ut constat ex haecenus dictis. Et ideo census realem emi licite, tenent omnes prope Doctores apud *Nazarr. in Comment. de usuris. Not. 22. num. 69.* & alias. Ante prob. not. 1. prius statuendum esse, quid sit illud, quod in hoc contractu venditur, & emitur? Pratermissis autem aliorum opinionibus, *re. rem*, quae venditur, non esse ipsa bona censui supposita, nec ipsas pensiones annuas; sed *jus eas percipiendi*, & obligationem illas solvendi resultantem in Censuario, sic *Covarr. 3. variar. c. 7. num. 1. Molina tom. 2. de just. D. 383.* & alii. Nam in dato casu aliquid a venditore possessum, debet esse venditum; ergo vel pensiones, seu fructus, vel bona, vel jus inde percipiendi pensionem. Minor probatur; *non pensiones*; nam istae in actu venditionis non possidentur a venditore, sicut nec fructus; *non bona*; nam haec subjiuntur hypothecae, ergo ipsa, seu dominium eorum non venditur; alias Emptori res sua hypothecata foret; ergo jus percipiendi pensionem, quod formaliter constituitur per contractum, sicut in quo jus alio contractu.

3391. Pro solut. in contrarium not. jus reale census, emptum 100. fl. ut quovis anno venditor, seu Censuarius ex re censui subjecta solvat 7. posse dupliciter considerari. 1. secundum se praecise. 2. in quantum subest laboribus, & expensis, aliisque incommodis, quae decursu temporis praesentuntur moraliter eventura in percipiendis illis fructibus, tum propter periculum amittendi census re pereunte; tum ob frequentissimam difficultatem rehabendi sortem integram in casu, quo vel illa indi-

geret, vel negotiatione notabile lucrum faceret &c. Not. 2. rem, quae secundum se praecise valet *centum*, vehementer decre- scere in valore, si consideretur, prout subest circumstantiis, & periculis non tantum lucri cessantis, & damni emergentis; sed etiam jactura totius sortis, difficultatibus, litibus &c. adeo quidem, ut propter hoc in valore quandoque decreseat etiam ultra dimidium. Not. 3. jus, etiam perpetuum, & ad tempus infinitum, quotannis percipiendi fructus ex aliqua re, etiam aliena, vel ex se, vel per hominis industriam frugifera, aestimari determinata pecunia, hoc est pretio determinato, & finito, etiam si cum tempore valor fructuum successively perceptorum transcendat valorem illius determinati pretii, & tale jus, hoc non obstante, licite emi. Manifestum enim est, in usufructu alicujus praedii, emphyteusi, servitute rustica, & urbana, etiam ad tempus infinitum, quae pretio determinato, & finito licite emuntur, etiam si cum tempore valor fructuum, & commodorum, exinde perceptorum, transcendat valorem illius pretii; quia res empta non sunt fructus, & commoda; sed jus reale percipiendi ea ut subest cum illis circumstantiis, & periculis, ratione quorum est longe minoris valoris, quam secundum se, quibus positis:

re. ad rationes in contrarium in n. 3389. 3392
N. min. ad 1. ejus probationem, Neg. talem emptionem census esse mutuam; nam res mutuo data transit in dominium mutuatarii, non autem res censui subjecta. Deinde, etiam in mutuo licite recipitur fors integra tempore per contractum definito, non obstante, quod mutuanus, per lapsos annos percepisset tantum, quantum valet fors ex annuis solutionibus, iusto titulo constitutis, nimirum lucri cessantis, damni emergentis &c. propter quae mutuuum in valore minus est pretio, si haec non compensarentur certa pecunia annuatim; idem est in usufructu, &c. & tamen in his non contingit *usura*; quia res non pluris valet, quam sit valor pretii determinati, & finiti; ergo, ad 2. prob. data ma. N. min. & ejus suppositum, quod emanatur pensiones, ut constat ex *num. 3390.* ad id, quod additur (*jus certum ad recipiendam pecuniam tanti aestimari, quanti aestimatur pecunia recipienda*) *re.* hoc manifeste instari in emptione usus fructus, etiam per-

perpetui; ponamus enim, quod validè, ac licitè ematur mille florenis; in hoc casu computando fructus, quotannis perceptos, eorum valor frequentissimè transcendit in valore pretium emptionis, quin propterea pretium pro re empta (*jure nimirum ad eorum perceptionem*) datum, dicatur non æquale cum valore rei empta; falsum igitur est, jus percipiendi quotannis pecuniam valere tanti, quanti valet ipsa pecunia per & annos, & annos percepta, simul sumpta.

3393 Ratio hujus est; quia *pecunia illa*, successivè percepta, sed simul sumpta, computatur quoad valorem *præcisus illis periculis*, propter quæ cæteroquin decrescit valor rei, quem habet illis seclusis: at *jus eos fructus successivè percipiendi* computatur quoad valorem *inclusis illis periculis*, ergo hoc non potest esse tanti valoris, ac ea pecunia simul sumpta; ergo licet *quantitas valoris pecuniæ* successivè percipiendæ transcendat *quantitatem pretii*, quo emptum est jus fructuum; non propterea tamen *quantitas juris empti* transcendit *quantitatem pretii*, quò ipsum est; cum etiam ipsum habeat valorem, & æstimationem determinatam, ac finitam, id quod clarè instatur in usufructu, & servitutibus emptis; ergo emilitè potest census realis, modò, ut supponimus, venditori constituatur pretium justum, de quo *utit. 18. hic.*

§. 8.

De emptione, ac venditione census personalis.

3394 **Q**uestio est, an talis census pretio validè, ac licitè constituatur? plures sequuntur negativam, ex quibus Fachinæus *l. 2. Controvers. c. 44. Navarr. de usur. num. 81.* & alii, approbantes solos census *reales*. 1. autoritate Martini V. in *Extravag. 1. & Calixti III. in extravag. 2. de empt. & vendit. inter communes.* Deinde Pii V. in sua *Extravag. de censib. ubi* expressè statuit census *super re immobili, & non aliter constitui posse*; 3. quia *persona* non potest solutioni pensionum censualium adstringi, maxime si nec bona habeat, & laborare impediatur, & ipsa pereunte non perit census; 4. quia ex concessione census *personalis*, aperitur via

palliandi *usuram*, asserendo, se, pro censu, annuoque reddito, pensionem ultra sortem non accipere; præcluditurque via concedendi mutuum; cum penentibus mutuum respondere mutans possit, ut in censum redimibilem quantitatem illam accipiat.

Affirmativam autem sequitur *Covarr. 3395* 3. *Variar. c. 7. an. 5. Less. l. 2. c. 22. D. 4. Salas de censib. dub. 3. n. 3. Layman l. 3. summa. tr. 4. c. 18.* & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus *tom. 7. D. 6. p. 11. num. 2.* Fundamentum hujus sententia est. 1. quia obligatio solvendi singulis annis determinatam pensionem imponi personæ potest, lege, & statuto, uti imponuntur tributa, regalia; & declaratur *L. ult. §. Lucius Titius ff. de contrahend. empt. decimæ personales*, lege Ecclesiastica statuantur, *c. Decime. 26. q. 1. c. non est, c. Apostolicæ, & c. pastoralis. de Decimis*, sed quod lege statuitur, potest conventionne partium statui; item, gratis te potes obligare ad solutionem pensionis in singulos annos; ergo poteris pretio sumpto eam obligationem suscipere, quia inter pretium, & ipsam obligationem æqualitas intercedere potest. Hanc sententiam ob auctoritatem probabilem censet Haunoldus *tom. 4. de Just. tr. 10. num. 305.* Negativam autem speculativè loquendo verriorem, quam etiam communiorem ait, & sequitur Molina *D. 387.*

Nobis videtur, emi censum *personalem* 3396 non esse ex natura rei illicitum; & in hoc sensu accedimus sententiæ affirmantium; ratio est, quia nullo titulo repugnat juri naturali, ut constabit ex responsionibus ad rationes in contrarium; de autoritate autem Pontificum, qui referuntur pro sententiâ contraria constabit ex dicendis à n. 3403. ad 1. igitur rationem *dist. ant. persona* non potest ratione census adstringi, ut Emptor habeat jus, & dominium *in ejus corpus. trans. ut pensionem præstet ex suis bonis, quæ habet, & habitura est.* N. ant. cum enim hoc justè, & citra ullam oppositionem cum jure naturali fieri possit lege, statuto, vel etiam *obligatione voluntaria*, non est unde id repugnet, si fiat idem justo pretio, & emptione? *V. tit. 18. ad id, quod dicitur: pereunte persona non perire censum, non probat, non obligari personam in bonis habitis, & habitis;*

dis; nam cum ea tali casu in securitatem solutionis hypothecæ, & pignoris jure assumantur; successor personæ recipit eandem obligationem solvendi, manente jure pignoris, & hypothecæ.

3397 Ad r. p. per hoc, quod census personalis ex natura rei valide, ac licite emit possit, nec aperiri viam usuræ, nec claudi mutuo: *non usuræ*, quia, ut in proximo dicemus, in tali casu servaretur æqualitas pretii, & rei emptæ; *non mutuo*; quia mutuans potest recuperare sortem; non Censualista, ut tradit Castropalaus *cit. num. 3.* ergo per censum personalem non impeditur mutuum; & licet non minus periculum usuræ sit in mutuo, non tamen eo titulo contractus mutui ex natura rei illicitus est; ergo licet periculum aliquod sit palliandi usuram in censu personali, non propterea talis contractus ex natura rei illicitus erit.

3398 Potissima ratio contrariæ sententiæ desumitur ex eo, quod ex natura rei repugnet emptio, & venditio, ubi non servatur æqualitas dati, & accepti; sed in emptione, & venditione census personalis non servatur æqualitas dati, & accepti: ergo emptio, & venditio census personalis ex natura rei repugnat. Minorem probat Haunoldus *cit. num. 306.* qui emeret v. g. 150. florinos solvendo successivè, nec tamen majus pretium daret, quàm 100. fl. ita, ut per 30. annos singulis annis solvendi essent 5. si omnis alius titulus absit, omnes fatentur fore usuram; quia non est æqualitas inter pretium, & rem emptam; & ob hanc causam supra dictum est, quod, quando emitur census realis, non emanant ipsi fructus collectivè, seu cumulus omnium fructuum percipiendorum; & per modum unius consideratorum; sed emi *jus reale*, quod non æstimatur, nisi 100. fl. subsumit: atqui emens censum merè personalem, emit ipsas pensiones successivè solvendas, per modum unius cumuli consideratas; ergo si iste cumulus excedit pretium, est inæqualitas, & usura. Minor probatur: emere jus ad accipiendum equum, est formalissimè idem, ac ipsum equum emere, ut fatentur omnes, & patet ex dictis de contractu emptiois; solum enim ex vi emptiois datur actio personalis, & Emptori non competit jus in re, sed jus ad rem solum; atqui emens censum personalem emit solum-

modo jus ad pensiones, & nullum jus reale: ergo formalissimè emit ipsas pensiones, quæ semel in unum computata, & tandem solutæ, excedent pretium. Ex hac ratione infert Haunoldus *n. 308.* hoc procedere de censu non tantum personali, sive perpetuo, seu irredimibili; sed etiam temporali, seu redimibili, & consequenter solum ad tempus certum ex eadem ratione; non ad tempus incertum, v. g. ad vitam emptoris, vel venditoris, ut habet communis sententia contra paucos; ratio est, quia emptio censuum ad tempus incertum, quod æquè facile potest afferre damnum, ac lucrum emptori, est exposita fortunæ, sicut ludus, aut jactus retis: atqui talis spes mixta cum tali periculo potest certo pretio æstimari: ergo valebit talis emptio census personalis.

Pro solut. arg. not. pensiones successivè solvendas, etiam simul sumptas, secundum se, posse valoris majoris esse, quàm sit pretium, quo emuntur, quin ex hoc sequatur inæqualitas valoris in dato, & accepto, seu pretio, & re emptæ, modo non sint majoris valoris prout considerata, ut subsunt diversis periculis, longo tempore, & incommodis, ac difficultatibus, quæ per se loquendo communiter in iis recipiendis occurrunt. 2. pensiones successivè recipiendas, etiam simul sumptas, prout includunt hæc incommoda, comparatas cum illis sumptis secundum se, & seclusis illis periculis, non tantum non valere tanti, sed etiam multo inferioris valoris esse, ut jam ostendimus. 3. cumulum pensionum successivè percipiendarum, etiam jure perpetuo, posse æstimari valore certo, ac determinato, consequenter adæquari pretio, esto temporis successu omnes jam perceptæ, secundum se acceptæ conficiant plus, quàm sit pretium datum pro jure illas percipiendi in perpetuum, ut ostendimus. 4. cumulum earum pensionum adæquari pretio legitimo, vel naturali; utrumque enim est pretium justum, pretio autem justo valor rei venalis adæquatur: quibus positis:

1. ad objectionem in *n. 3398.* C. ma. 3400 N. min. ad hujus prob. transeat interim major; N. min. ad prob. istius, N. ma. nam jus ad accipiendum, seu sibi tradendum equum, & ipse equus non sunt idem, sicut nec jus in re ad pensiones, & ipsæ pensiones;

fiones; atqui emens jus in re ad pensiones, non emit formalissimè ipsas pensiones, ut fatetur in argumento Haunoldus; ergo qui emit jus personale ad pensiones (nimirum personale, vi cuius venditoris persona teneatur solvere pensiones in bonis habitis, & habendis) non eò ipso formalissimè emit pensiones, sed tantum jus in personam, vi cuius cum obligare possit ad pensionem annuam ex bonis habitis, & habendis persolvendam; cum ergo tale jus habere possit æstimationem certam, & determinatam, ac ei correspondens pretium justum *legitimum*, vel *naturale*, quantumvis pensiones veniant successivè ad majorem quantitatem, quam fuerit pretium; nulla inde fiat inæqualitas inter pretium, & rem emptam, nimirum jus personale ad versus venditorem tradendi quot annis constitutam pensionem; quia pretium non debet coæquari, nisi rei emptæ, & jus, quod emitur, non æstimatur expensionibus, consideratis secundum se, ut dictum est; sed cum attentis incommodis, periculis &c. de quibus supr. ratione quorum longè minoris sunt, quam secundum se.

3401 Dixi: *transeat interim major*, nimirum, quod, *si pensiones essent successivè* (videlicet per annos 30.) *solvende, abesset omnis alius titulus per se loquendo*, quod tamen supponit major; nam si tanto tempore primò conficeretur summa 150. fl. pretio centum, per se loquendo, & moraliter fieri non potest, quòd non intercurrant plurima incommoda, difficultates, pericula, &c. comparatione quorum illi 150. fl. ut conjuncti cum dictis circumstantiis in æstimatione hominum longè minoris valoris sunt, & vix adæquabunt valorem 100. fl. numeratæ pecuniæ; ergo ex una parte supponendo solutionem earum pensionum fieri tantum *successivè*, & quidem spatio 30. *annorum*, non potest ex altera parte supponi, *abesse omnem alium titulum*; cum tantum tempus successivum per se loquendo importet alios titulos, ergo adhuc servaretur æqualitas, licet emerentur ipsæ pensiones successivè solvendæ; hinc licet in aliquo casu fingemus, nullum incommodum, & difficultatem futuram, non obinde infertur, minoris emi non posse, quia ad honestatem emptionis satis est, quòd frequenter eam diffi-

cultates, & incommoda intercedant, quibus inspectis leges statuerunt *justum pretium* illarum pensionum esse minorem summam numeratam.

Ad id, quod in objectione dicitur de auctorit. summorum Pontificum ibidem re-latorum. *scilicet* quòd Martinus V. & Calixtus III. non negent, posse constitui census *personales*; sed solum decidant, Censuarium, pereunte re non esse obligatum reddere sortem; in quæstione autem, an tali casu teneatur solvere censum, seu pensionem annuam? in neutram partem quidquam ab illis definitum esse, imò (ut habet P. Ferdinandus de Castropalao tom. 7. D. 6. p. 11. num. 3.) Nicolai V. & Gregorius XIII. in suis constitutionibus de censibus, expressè affirmant, *personam in censu obligari posse, obligationemque personæ esse præcipuam; tametsi bona aliqua in securitatem solutionis, hypothecæ, & pignoris jure assumantur.*

Quod adducitur ex constitutione Pii V. de qua supr. à num. 3358. verum habet, Pium voluisse, ut census deinceps non constituerentur, *nisi in re immobili, & frugifera*; ex quo communiter deducunt Doctores, prohibitum esse emere censum *personalem*, id quod valde probabiliter dicitur: ex hoc tamen non sequitur, esse illicitum *ex natura rei*, seu jure naturali, sed tantum Ecclesiastico; quo casu juxta dicta à num. 3362. dicendum erit de plus valore, imò & licita constitutione, saltem in loco, ubi ea constitutio, vel non debite promulgata est, vel usu non recepta. Ceterum Castropalao loc. cit. ait: quòd Pius V. in illa Extravagante sua non declaraverit census *personales illicitos, esse*; sed ad vitandum periculum usuræ statuerit, *ne constituerentur.*

Ex his deducitur, censum personalem ex natura rei non esse illicitum, sive perpetuus sit, sive temporalis etiam ad certum tempus, quamvis utrumque neget Haunoldus, ut diximus num. 3398. ratio negantium est ex eo, quia ex parte, qua cumulus pensionum excedit sortem, injusta est emptio, cum pretium excedat; ergo secluso damno emergente, lucro cessante, aliove simili titulo, recipi non potest. Deinde, quia perinde est emere pecuniam solvendam simul, ac emere illam per partes: at major pecuniæ summa emi nequit minori,

minori, cum certa est ejus solutio. Denique non potest quis, secluso damno emergente, vel lucro cessante, mutare centum sub obligatione reddendi 15. in singulos annos per decennium; ergo neque emere.

3405 Sed affirmandum est cum D. Thoma in *Opusc. de usuris p. 2. c. 1. Lessiol. 2. c. 22. D. 6. a. num. 42.* Salas de censibus *dub. 4. a. num. 2.* nam debitum in singulos annos distributum, communi hominum estimatione, minoris valet, quam si simul esset; sic enim subicitur frequenti periculo interitus cum difficultatibus, & expensis in ejus perceptione, & minus aptum est, ut ex illo lucrum aliquod comparatur, & necessitatibus contingentibus occurratur; ergo hoc debitum tam in fructibus, quam in redditibus sic speratis, minoris emi poterit, quam si simul praesens esset.

3406 Confirmatur ex eo, quod aliqui hoc concedant in emptione census realis. Nam ideo licita est per eos emptio census realis minori pretio, quam est cumulus fructuum, qui sperantur percipi, quia fructus in potentia, qui in censu reali emuntur, utpote multis periculis subiecti, minoris estimationis sunt, quam si actu existerent; sed in censu personali idem contingit: pecunia enim futurae, minutim per longum tempus recipiendae, periculis sunt subiecta, & suis dominis rhinus commoda. Aliqui contractum, seu censum personalem *vitalitium*, nimirum ad tempus vitae Censuarii, aut Censualistae, comparant ludo aleae interdicto; sed hoc merito negatur; nam in ludo aleae non intervenit emptio alicujus rei, & res pendet ex mero casu, non causis naturalibus, sicut vita hominis.

§. 9.

De censibus Ecclesiasticis.

3407 **P**ER censum Ecclesiasticum hic intelligimus onus reale impostum Ecclesiae, vel quamlibet pensionem, aut redditum annuum, quem ex proventibus Ecclesiasticis, Ecclesiae, Monasteria, & alia loca solvere debent superioribus Praelatis, vel ex causa recognoscendi subjectionem, vel alio titulo; & haec acceptio census est propria, prout hoc titulo de censibus agitur. Prima igitur quaestio est, an ex solutione census recte probetur, solventem esse subiectum ei, cui solvit censum? R. quod

Tom. III.

non; nam ex obligatione, qua nasci potest ex pluribus titulis, nunquam bene arguitur ad unum determinate, sed obligatio solvendi censum ex proventibus Ecclesiasticis, nascitur ex pluribus titulis; aliquando nimirum ad recognoscendam subjectionem, vel in signum libertatis, & emptionis, juxta c. *Recipimus. 8. de privi. leg. vel in signum advocatiae, seu protectionis, aut competentis Patronatus ex fundatione &c. arg. c. Praeterea. 23. de jure Patronat.* ergo ex obligatione solvendi censum ex proventibus Ecclesiasticis non bene arguitur determinate, quod fiat *titulo subjectionis*. Hinc petens sibi ab aliquo solvi censum, debet allegare titulum, seu causam, ex qua id juris habeat; nam census, cujus causa ignoratur, non est ex obligatione solvendus, prout habetur in c. *Pervenit. 5. h. t.* Cum enim Fraxinorensis Abbas Carpentem Ecclesiam fuisset depradatus, occasione videlicet cujusdam census, qui ad quid, & quo titulo solvi debebat, ignorabatur; & super hoc Archipresbyter Paschalem r. i. interrogasset, respondit Paschalis: *censum ignorantiae nec divinis, nec humanis legibus inveniri, oportere enim, ut census omnes, ad quid, & quo modo persolvi debeant praesciantur*; adeoque praedam omnem Carpentis Ecclesiae restituendam esse, nec permittendum deinceps, ut Fraxinorensis Abbas, aut quilibet alius, eam inquietet.

Causa porro debendi censum, & consequenter titulus, in quo fundetur jus petendi, sufficienter probatur; si allegetur annua praestatio illius per tantum tempus, ut ejus initium non extet memoria, ut colligitur ex *L. hoc jure. 3. §. Aquae ductus. ff. de aqua quotid. Abb. inc. ult. n. 7. de causa possess. & propr. & in cit. c. Pervenit; n. 3. h. t. Covarr. in Reg. possessor p. 2. §. 4. n. 4.* sed hoc accipe, si constat de solutione annuatim praestita *tanquam debita*; non autem, si *mere liberaliter*; & gratuito, vel cum protestatione, quod non ex debito. Haec intelligenda sunt, quando actor petit sibi censum solvi iudicio petitoris, si autem agat possessorio (pone, si Censuaris recuset solvere censum, tanquam indebitum) tenebitur probare, se hactenus fuisse in possessione, quorannis percipiendi censum, eumque sibi tanquam debitum fuisse per tot annos solutum, nunc autem a

Ggg gg

Cen-

Censuario spoliatum, quo casu restituendus erit, esto reus opponat proprietatem, prout exposuimus *lib. 2. tit. 12. de causa possess. & propriet. ex c. Cum olim. 7. eod. & c. fin. de ord. cognition.*

3409 Not. autem 1. in hoc casu non requiri, ut actor spoliatus possessione, vel quali possessione juris percipiendi censum ex tali loco, vel fundo, probet titulum, quo acquisivit jus, ubi possessio est temporis immemorialis; quia in hoc agitur solum de continuatione possessionis, non acquisitione; esto enim titulum acquisitionis probare non possit propter tempus immemorabile initii, ut saepe fit; sufficit tamen praesumptio, quam ex possessione tanti temporis, pro iustitia possessionis, & consequenter acquisitionis, pro se habet. Hinc non ex decursu temporis habetur illa Censuarii obligatio; sed ex praesumptione juris in tali circumstantia, Censualista assistetis.

3410 Not. 2. id procedere non tantum in censu reali, sed etiam personali, nimirum, ut spoliatus solutione census personalis, antecedenter ex debito soluti, possessorio iudicio spoliatorem convenire possit in iudicio possessorio recuperanda, prout deducitur ex c. *Querelam. 24. de Elect.* ubi, cum Cardinalis tituli S. Vitalis per Oeconomum, seu Syndicum Ecclesiae S. Agathae, quam ipse habebat in commendam (praeter alia) petiisset pensionem sexdecim denariorum Papiensium ab Ecclesia S. Salvatoris, nunc autem ab hujus Ecclesiae Presbytero negatam, seu subtractam; Pontifex ad quaestionem praestandae pensionis respondit: *quia fuit liquidò comprobatum*, quod pensio sexdecim denariorum Papiensis monetae fuerit Clericis Ecclesiae vestrae pro Ecclesia S. Salvatoris de thermis annuatim, per multa tempora, et soluta, sed de novo subtracta, *vos in eundem statum percipiendi huiusmodi de Ecclesia S. Salvatoris de thermis Ecclesiam vestram decernimus reducendam, & ad solutionem pensionis subtractae, condemnamus Presbyterum ante dictum, salva quaestione proprietatis inter Ecclesias memoratas.*

3411 Nam ex hoc textu deducitur, quod pensionarius, seu Colonus pensionem solvere recusans, si ea ante tanquam debita soluta sit, cogendus sit spoliatum restituere juri suo, & negatam pensionem solvere;

sic tamen ut deinde possit super jure proprietatis solvendae pensionis litem movere; ubi nota, quod absolute decernat solutionem census, non distinguendo, an sit realis, an personalis? Unde, quando dicitur, non posse fieri, quod habeatur possessio praestationis, seu debiti mere personalis, cum persona libera, & illi inherencia, possideri non possint; respondetur, negando, non posse in persona fundari obligationem praestationis, seu debiti mere personalis nomine alicujus causa praecedentis, v. g. pacti, contractus, ultima voluntatis, &c. pat. in decimis, & tributis *personalibus*; in Vasallis, obligatis ad obsequia personalia domini directi, &c. Unde in istis casibus non tam possidetur persona libera, quam jus personale, quo habens tale jus exigere possit debitum, pensionem sibi praestandam à tali persona ex ejusdem lucris, adeoque eo spoliatus, in eo merito defendendus erit aequè, ac spoliatus possessione juris realis.

§. 10.

An Ordinarii locorum, aut Rectores, Ecclesiis sibi subjectis possint imponere debitum solvendi censum?

DE hoc agitur in c. *Scientes. 3. h. t. 3412* Nam, ubi quidam Abbas Gregorio Pontifici conquestus esset, quod Episcopus Massae suo Monasterio consuetudines (seu census, & pensiones, ut notat Hostiensis hic, & Rubrica) velit imponere; respondit: *si ab initio hoc non fuit, etiam labentibus temporibus aliquid novi non permittendum imponi*: Deinde in c. *Prohibemus. 7. eod.* quod desumptum est ex Concilio Lateran. ubi Alexander III. *prohibemus insuper*, inquit, *ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Praelatis novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare praesumant*: sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent; si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur.

Ex his juribus deducitur 1. censum novum (qui scilicet in Ecclesia fundatione constitutus non est) non posse deinde imponi Ecclesiis, vel Monasteriis ab Ordinariis locorum; sic Vivianus in *Rationali juris Pontific. l. 3. pag. 392. & alii. 2. nec* etc.

veterem augeri; patet ex textu c. 2. ibi: *nec veteres augeantur*; & c. 3. ibi: *aliquid noviter non permittas imponi*; augmentum autem imponere, foret aliquid noviter imponere; ergo. Censent autem communiter Doctores, sermonem hic esse de censu perpetuo, & reali; Secus solum personali, & ad tempus; ratio primi est; quia licet in permutatione beneficiorum, ubi unum alteri praeponderat, defectus minus valentis in ipsa permutatione, etiam pecuniâ, compensetur, ut dicitur c. ad quest. 6. de rerum permutatione, isti tamen contractus permutationis, & supplendi defectum, non possunt committeri, adeoque nec alius (qualis est census realis, & perpetuus) constitui; nemo enim, Papâ inferior, potest Ecclesiam perpetuò censualem constituere, ex dict. c. *Prohibemus*: ratio secundi est ex c. *cum venissent*. 9. de rescript. spoliat. ibi: *& interim auctoritate ejusdem Archiepiscopi, vivente Clerico perceperunt annuam possessionem*; c. *Nisi essent*. 21. de praebend. ubi duobus, ad unam dignitatem electis, permittitur, ut à Judicibus, in quos compromissum est, uni eorum, pro bono pacis, constituere annuam pensionem non à dignitate, sed ab eo, qui dignitatem accipit, persolvendam, sic tamen ut extinctâ personâ gravari, extingatur obligatio solvenda pensionis nec transeat ad successorem.

3414 Decisionem porro de novo censu, vel pensione non imponenda Ecclesiis, à locorum Ordinariis, limitant aliqui, ut solum intelligatur, *sive causa rationabili, & justa*, ita Pirhing h. t. num. 9. sed de hoc V. dicta Superius à n. 915. Observandum quoque, quod in c. *prohibemus* (prohibeate impositionem novi census, vel augmentum veteris) addatur: *nec partem reddituum suis usibus appropriare praesumant*; quo videtur indicari, novis censibus, ab Ordinariis locorum, non posse gravari Ecclesias, *pensione cedente in ipsorum usum, & commodum*; an autem nec in utilitatem aliorum? diximus à num. 915.

3415 Quod attinet Rectores Ecclesiarum, Episcopis inferiores, aut alios Beneficiarios, an ipsi possint novis pensionibus gravare suas Ecclesias, aut beneficia? videtur dicendum negativè à fortiori; & colligitur ex c. *Præterea*. 8. h. t. ubi Alexander III.

ad Episcopum Vigoricensis scribit: *qui Episcopo ignorante, auctoritate suâ, pensionem annuam de Ecclesiis, quâdam illusionem, solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis, non sunt aliquatenus audiendi, si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem, & assensum super hoc non intervenisse constiterit; non enim simplices sacerdotes, vel Clerici possunt Ecclesias, quibus praesunt, auctoritate suâ (praesertim post decessum suam) efficere censuales.*

Ex hoc textu habetur I. Rectores Ecclesiarum, aut Beneficiarios, locorum Ordinariis inferiores, sine istorum consensu, consequenter auctoritate propria, non posse suas Ecclesias, vel beneficia constituere censuales, censu durante, etiam post mortem ipsorum, qui eum in sua Ecclesia, vel beneficio constituerunt; constat aperte ex cit. litera n. praeced. 2. non posse dictas Ecclesias constitui censuales, sine Ordinarii consensu ad tempus; ratio est, quia particula *praesertim* implicat; non autem, *excludit* casum alterum, sed solum determinat à fortiori, ut multò minus liceat constituere censum duraturum, etiam post mortem constituentis; habetur 3. juxta id, quod notat Barbosa in dict. c. *Præterea*. n. 2. quòd census constitutio super rebus Ecclesiae, accedente Superioris consensu, etiam successores obliget; deducit hoc cum Pereyra de empt. c. 27. n. 6. ex illis litera verbis: *Episcopo ignorante*: Verùm ex hoc: *Rektor Ecclesiae non potest auctoritate propria suam Ecclesiam constituere censualem ignorante Episcopo*, non rectè sequitur: *ergo potest eo consensu, & consentiente*; nam ex dicto anteced. non rectè infertur istud consequens; cum non sit contradictorium antecedentis, & in dicto casu possit verum esse utrumque, & quòd non possit auctoritate propria, ignorante, ac non consentiente, & quòd non possit auctoritate propria, sciente, ac consentiente Episcopo, cum in pluribus etiam consensus Episcopi non proficiat, ubi scilicet potestas, & consensus altior exigitur. Ceterum ubi super hoc disponere potest (de quo diximus à n. 915.) admitti potest.

Quaestio ulterior est, an Episcopus possit novum censum imponere Ecclesiae, de manu,

manu, seu potestate Laicorum redempta? ad hoc responderetur ex c. *Ecclesiis. 9. h. t.* ubi dicitur: *Ecclesiis, quas de novo Episcopi de manibus Laicorum eripiunt, præter cathedraticum, juraque omnia, quæ aliis Ecclesiis imponuntur, non videmus exactionem imponendam; quin, novis exactionibus, decreto nostro, prohibemus generaliter amodò Ecclesias prægravari.* Ex hoc enim sequitur, quod Episcopus majorem exactionem imponere non debeat, præter Cathedraticum, & alia jura, quæ habet in antiquis Ecclesiis, quamvis eriperet, & liberaret Ecclesiam de manibus Laicorum; Vivianus in *Rational. l. 3. juris Pontific. pag. 394. & alii.* De aliis porrò juribus Episcopi, quæ vi legis Dioecesanæ potest exigere ab Ecclesiis sibi subjectis, dicemus à infra.

3418 Quæstio est 2. an, qui juravit solvere novum censum, ab eo, qui tale juramentum promissorium ab ipso recepit, ab hac jurata obligatione liberari debeat? *quod sic ex c. significavit. 13. h. t.* nam cum Rector Ecclesiæ de Fulius denuntiasset Lucio III. quod, cum à Monachis de Castig. ad regimen ipsius Ecclesiæ fuisset electus, de solvendo eis annuo censu trium marcharum, quas prædecessor ejus solverat, præstitit sacramentum: postmodum Episcopus Dioecesis, ne ipsum censum Monachis solveret, nisi prius constaret, quod Episcopali auctoritate fuisset impositus, in periculum ordinis sui interdixit; quo intellecto Pontifex respondit: mandamus, quatenus, si prædictum censum auctoritate Præsulis, & non de novo impositum fuisse constiterit, Episcopo præcipias, ut prohibitionem sine dilatione relaxet; si verò census sit de novo impositus, & sine auctoritate Episcopi hoc factum fuerit, sive non, eosdem Monachos, ut Clericum à juramento absolvant (appellatione remota) compellas; Creditor igitur, qui alicui Clerico imposuit novum censum sub obligatione jurata solvendum, etiamsi debitor se soluturum juraverit, sive hoc factum sit cum, sive sine auctoritate Episcopi, tenetur ei talem obligationem remittere, & ad hoc cogi potest; secus, si non sit novus, sed jam ante cum auctoritate Episcopi constitutus; quo nec habetur juramentum posse relaxari à partibus, in quorū utilitatem fuit juramentū; ita Sanchez in *Dec. l. 3. c. 20. n. 4.*

3419 Et hoc etiam procedit de Patronis Ec-

clesiarum, etiam Clericis, si novum censum imponant Ecclesiis, aut veterem au-geant, receptā super hoc solvendo cautione, vel juramento, prout expressè statuit Clemens III. ubi (ut habetur in c. *Gravis. 15. h. t.*) *Gravis admodum, & correctione dignissima nuper querela*; inquit, *in audientia est nostra proposita*; quod, salva conscientia, sub dissimulatione transire non possumus; cum enim Ecclesiastica personæ Ecclesias, quam plures in Simon. Dioecesi habeant, cum eas vacare contigerit, non aliter quemquam ad ipsarum regimen volunt vocare, nisi aut novum censum in Ecclesiis illis imponant, aut veterem contra constitutionum Concilii Lateran. augmentent, ad ipsius solutionem instituendum Presbyterum juratoria quandoque, vel fidejussoria cautione cogentes: quandam etiam partem suis usibus reddituum applicare contendunt; unde sæpe contingit, ut, Dioecetano Episcopo excessus hujusmodi ignorante, vel eo minimè requisito in Ecclesiis illis inducant pro sua voluntatis arbitrio Sacerdotes. Quoniam igitur prædictas constitutiones Concilii pati nolumus, neque debemus, aliquorum injuriā violari, discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus, cum super hoc fueritis requisiti, partibus ad vestram præsentiam convocatis, quæcunque noveritis contra constitutionem prædictam super Ecclesiis illis, vel earum censu ab aliquibus à tempore constitutionis attentata, contradictione, & Apostolica cessione, in irritum revocantes, ab augmentatione censuum Ecclesias penitus absolvatis, & ad statum debitum reducat: Presbyteros, quos super his juramenta illicita præstitisse noveritis, congrua satisfactione imposita, facientes absolvi, eos etiam, quos de cætero contra formam canonum super his venire noveritis, sine cujuscunque personæ acceptione, sub Apostolica observationis censura canonica puniatis.

Not. autem, hoc procedere de censu, quem Patroni noverit imponerent Ecclesiis Patronatis, nimirum extra limen foundationis, seu primò post foundationem; ceterum illicitum non est, si in ipsa foundatione Ecclesiarum, de consensu Ordinariorū, sibi censum, vel pensionem annuam referrent, quæ cæteroquin possibilis est, & Ecclesias nimia servitute non gravat. de quo V. titulum 38. de jure Patronat.

ARTICULUS II.

De Exactionibus.

3421 **S**ecunda pars tituli est de *Exactionibus*, quorum nomine veniunt tributa, aliaque similes collectae pecuniariae, seu pensationes, quae iustis de causis solvi debent Principibus laicis ex ipsorum impositione vel Praelatis Ecclesiasticis, dispositione factorum Canonum; *pensatio* autem *publica*, juxta Molinam tom. 3. D. 661. n. 3. *lit. E.* est vox generalis, quae comprehendit sub se omnem censum, sive patrimonii, sive capitis; imò ad plura extenditur, ut notat *Gloss. ad Rubric. c. Si propter publicas pensationes*; at juxta Azonem in summa *rub. citat. pensationes publicae* dicuntur annuae exactiones tributorum, vel vestium, auri, vel argenti, quae à certis personis solvebantur fisco. *Pensatio* autem, ex vi vocis est, quasi pensionis solutio; sicut *exactio* est illius petitio. *Exactiones* porrò, seu tributa sunt in duplici genere; nam alia dicuntur *ordinaria*, nempe, quae à lege certis regulis perpetuò imponuntur. *L. unic. C. de vacat. publici mun.* alia *extraordinaria*, & sunt, quae non semper, nec ordinariè, sed extraordinariè, & ad tempus imponuntur pro aliqua urgenti necessitate, quae supervenit; ut, si Rex opprimatur bello, ad quod eget pecuniis.

§. 1.

De portione canonica Episcopali.

3422 **P**rima quaestio est, quid veniat nomine *portionis canonicae*? generatim loquendo, canonicam portionem esse illam, quae approbatur per canones, & per eosdem debetur Ecclesiae; specificè autem illam, quae ab Ecclesiis ex omnibus bonis, quae ipsis relinquuntur, & obveniunt legato, vel oblato ratione funeris persolvi debet; hæc duplex est, *Episcopalis*, & *Parochialis*; illa est, quam Episcopo debent omnes Ecclesiae, quae sunt in ipsius Diocesi constitutae, ex omnibus bonis, quae ipsis relinquuntur, & obveniunt, estque tertia, vel quarta pars; *Parochialis* (quae similiter *quarta Parochialis*, & alio nomine *quarta funeralis* dicitur) est illa, quam habet Ecclesia parochialis ex his bonis, quae Parochiani legant, sive relinquunt, vel of-

ferunt ratione funeris, cum quis alicubi extra Parochialem eligit sepulturam, estque dimidia, vel tertia, vel quarta pars juxta diversas Ecclesiarum consuetudines, c. *Certificari. de sepult.* utraque etiam vocari solet *portio mortuorum*, aut *funerarium*, ut notat Pirhing *de testam. n. 95.*

Quaestio altera est, ex quibus rebus de- 3423
beat portio Canonica Episcopalis? pro resol. not. de hac quaestione agi in c. *Requisisti. 15. de Testament.* ubi, Innocentius III. requisitus, qualiter ea, quae testator pro anima sua legat in ultima voluntate, dividenda sint inter Episcopum, & Ecclesiam, cui aliquid à testatore *legatum* est? respondit Pontifex, *regulariter* verum esse, quòd Episcopus debeat de his, secundum diversas consuetudines, tertiam, vel quartam portionem habere.

Dixit: *regulariter*, quia, ut hoc proce- 3424
dat, vult considerari, & attendi modum, quo Testator legavit; v.g. an legaverit hoc modo: *relinquo istud Episcopo; an, relinquo istud Ecclesiae; vel, relinquo istud Episcopo, & Ecclesiae; relinquo istud Episcopo, & illud Ecclesiae*; ac subiungit statuend. in primo casu distinguendum esse, utrum relinquatur Episcopo ab extraneo, vel propinquo? *si ab extraneo, generaliter verum est, quòd praesumitur esse relictum intuitu Ecclesiae, non personae*; unde Cathedralis Ecclesia de illo potest Canonicam petere portionem, quemadmodum Episcopo competit sua portio, *si aliquid Ecclesiae relinquatur*; & hoc verum est, nisi testator exprimat, *quòd velit illud tantum esse Episcopi, non Ecclesiae*; quo casu servanda est dispositio testatoris, secus autem, si exprimat, quòd velit illud tantum Ecclesiae, non Episcopi: quia privata dispositio testatoris, non potest generalem constitutionem canonis immutare; non obstante canone, qui huc allegatur, & est Concilii Agathens. c. 6.

2. Si quid Episcopo relinquatur à propinquo, praesumi, esse relictum, non intuitu Ecclesiae, sed personae, & de isto nihil potest petere Ecclesia in vita ejus. 3. si aliud Episcopo, aliud Ecclesiae relinquatur, dividi canonicè inter ipsum, & ipsam, nisi velint esse testatoris dispositione contenti, quam satis decens est observare; si aliquid legatur Episcopo, & aliqua Capellis, Monasteriis, aut aliis piis locis legant. 3425
gan-

gantur, portionem canonicam nihilominus deberi; quia non est tanta communio inter Episcopum, & alia sacra, aut pia loca, quanta est inter ipsum, & Ecclesiam Cathedralam, cui est spirituali conjugio copulatus; unde, quæ acquirit, non illis, sed isti tantum acquirit. Si illi, qui potest proprium possidere, neque habet prælationem, vel administrationem Ecclesiæ, aliquid specialiter relinquatur, censi relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ; nihil inde Episcopo debetur, vel Ecclesiæ, nisi fraus interveniat.

3426 Ex hac decretali sequitur, Episcopum ex omnibus *legatis piis*, quæ à testatore pro salute animæ suæ facta sunt *Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, Episcopo, tanquàm Ordinario subjectis*, posse exigere, ac recipere portionem canonicam, nimirum in ea quantitate, quæ usui recepta est, juxta diversas locorum consuetudines, quæ aliquando est quarta, subinde tertia, interdum etiam media pars bonorum Ecclesiis pio legato relictorum; nam si non Ecclesiis, sed solum personis aliquid ab eo legatum est, portio canonice non est locus, ut aperte sequitur ex textu; ubi tamen Panormitanus, & Wagnereck in exegesi ad dict. c. *Requisisti*, notat, quod dicitur de relictis Episcopo debere Ecclesiam cathedralam habere suam portionem, sicut e contra, defacton non servari.

3427 Dixi: *portionem canonicam Episcopis deberi de omnibus legatis piis, quæ sunt Ecclesiis*; hoc intelligit Pirhing de *testam. n. 95.* etiam de *donatis causa mortis*; sed donatio causâ mortis non est actus Testatoris, de quo loquitur textus; cum donatio causâ mortis fieri possit sine ullo actu testantis, seu disponentis per ultimam voluntatem *testamentariam*, unde, quamvis etiam Barbosa p. 3. de *potest. Episcopi alleg. 61. n. 1.* ex donatione causâ mortis velit deberi dictam portionem, ex vi tamen c. *Requisisti*, non rectè deducitur.

3428 Quia verò plura dubia super hoc communiter moventur, primum est, quis hic veniat nomine *Episcopi*, cui portio canonice solvi debeat? 2. an obligatio, solvendi portionem Episcopalem, aboleri possit consuetudine contraria? 3. an sit de lege Diocesana, vel jurisdictionis? 4. à quibus solvi debeat? Ad 1. *Episcopi* nomine *Episcopi* venire hic etiam inferiores Prælates (ut

Archidiaconum) qui habent in ea Ecclesia jurisdictionem quasi Episcopalem; quia, cum habeant illam sibi pleno jure subiectam, habere debent cum commodis annexis. Barb. cit. p. 3. *alleg. 86. n. 9.*

Ad 2. obligationem portionis Episcopalis aboleri posse contraria consuetudine 40. annis cum titulo præscripta c. de *quarta. 4. de præscript. ibi: de quarta decime, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi, quadragenniali præscriptione temporis se posse tueri videtur; nisi fortè interim pastoralis sedes caruisset pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset; nam Romana Ecclesia triennalem præscriptionem, contra Ecclesiam, non admittit, sine titulo tempore immemoriali. Sylvester V. canonica portio q. 2. & 3. Sed not. hoc intelligi, quando consuetudo est contra jus; nam si sit præter jus (ut si consuetudo foret non dari medietatem) sufficerent 10. anni; sic Sylvester cit.*

Ad 3. respondet Barbosa p. 3. de *offic. & potest. Episcopi alleg. 86. n. 9.* ex c. 1. de statu Monachorum, eam esse *de lege jurisdictionis*; sed rectius affirmant alii, eam esse *legis Diocesane*, de utraque egimus l. 1. tit. 1. à n. 1286. ubi etiam à n. 1287. probavimus Regulares *jure communi exemptos esse à Lege Diocesana Episcopi*, non autem à lege jurisdictionis, nisi speciali privilegio sint muniti. Quod autem portio Episcopalis debeatur ex lege Diocesana, non jurisdictionis est ex ipsa definitione legis Diocesane, quæ consistit *in recipiendo*, hoc est, quæ statuit de his, quæ sunt Episcopo conferenda, & ab ipso recipienda, v.g. Cathedralicum, quarta generalis, & visitatio annua, &c. sic Pereyra in Elucidario, seu expositione idionatis, de proprietate Sermonis Theologici, Canonici, & Civilis n. 196.

De hac lege Diocesana agit etiam Suarez, *rez tom. 5. in 3. p. D. Thomæ sub fin. in tract. de Legib. l. 4. c. 20. num. 1.* ubi notat 1. à Doctoribus distingui duplicem legem Episcoporum, & unam dici *legem jurisdictionis*; alteram *Diocesanam strictè sumptam*. Solet enim interdum, inquit, Suarez, *lex Diocesana*, sumi large pro toto jure Episcopali; ut in c. *Audisitis*, de præscriptionibus; & tunc comprehendit etiam legem jurisdictionis; alio vero modo

modo sumitur *strictè*, & sic distinguitur à lege jurisdictionis, ut in c. *Dilectus*, de officio Ordinis. & 10. q. 1. in summa, & c. 1. ubi dicitur: *Religiosos esse exemptos à lege Diocesana*; & supponitur non esse exemptos à lege jurisdictionis. Hæc Suarez, qui n. 2. subjungit, per Glossam cit. *jura Episcopalia*, sic explicari; ut lex jurisdictionis sit illa, quæ consistit in agendo, gubernando, seu ministrando; lex autem diocesana ea, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ sunt conferenda Episcopo, & ab ipso recipienda; quod his exemplis declarant; nam ad legem jurisdictionis inquit, pertinent omnia, quæ circa judicia aguntur; ut sunt citatio, causa examinatio, decisio, puniatio, vel absolutio, ut ex illo textu colligitur. Unde omnia etiam, quæ pertinent ad gubernationem Diocesis, ad hanc legem spectabunt, & consequenter etiam statuta condere, & leges, ad eandem legem, pertinet. Addit etiam illa Glossa, Sacramentorum collationem, consecrationem Ecclesiarum, & confectionem chrismatis, ac similia, etiam pertinere ad legem jurisdictionis: ad legem autem Diocesanam, ait illa Glossa, pertinere *cathedraticum, quartam decimationem, & mortuario- rum, Synodum, visitationem annuam*, de quibus in c. *Conquerente*, de officio Ordinis. & videtur fundari in hoc, quod ab hujusmodi iuribus, & oneribus eximantur monasteria in jure in c. *inter alia*. 10. q. 3. cum aliis, quæ ibi à Glossa citantur.

3432 Dices: licet jus, seu lex Diocesana consistat in recipiendo, quædam; non consistit tamen unice in his. 2. nullo jure probatur, legem Diocesanam consistere semper in recipiendo; primum patet, quia Synodi congregatio non consistit in recipiendo: nam vocare ad Synodum, agere est, & propriissimus actus jurisdictionis, & similiter illi præsidere: Visitatio etiam annua, jurisdictionis est, & in agendo, consistit; altera pars non aliter probatur, nisi quia Glossa nullum textum ad id probandum adducit. Sed 13. ad 1. quoad jus Episcopi, duo spectari; unum, quod est regere, & pascere; & hæc omnia, quæ ad hoc munus spectant, dicuntur esse de lege jurisdictionis: aliud est pasci, seu debitum stipendium accipere, & hæc omnia servitia, & subsidia temporalia, quæ debentur

Episcopis ratione sui muneris, dicuntur pertinere ad legem Diocesanam sic strictè sumptam; quo posito: distinguenda est visitatio annua, ut intelligatur semel activè pro jure, & actu indicendi visitationem, & eam exercendi, 2. quasi passivè pro debito præstandi procurationes in visitatione, de quibus agitur infra: hac distinctione utriusque legis, & visitationis facillè respondetur, N. anteced. in 1. part. ad ejus prob. 13. vocare ad Synodum, quatenus importat præcisè actum convocandi, agere est, & propriissimus actus jurisdictionis C. quatenus importat receptionem Synodatici, seu Cathedratici N. similiter disting. alterum: visitatio annua, sumpta activè, in agendo consistit, & est actus jurisdictionis C. sumpta passivè, in quantum importat receptionem procurationum, N.

Ad 2. propos. 13. dato, hanc distinctionem jurium Episcopaliū, quorum unum consistat in lege jurisdictionis, alterum in lege Diocesana juxta explicationem Glossæ, non reperiri expressè in jure, sufficienter tamen ex jure colligi 1. jus consistens in lege jurisdictionis distingui à jure consistente in lege Diocesana, cum, ut probavimus lib. 1. à num. 1286. jus expressè has leges distinguat; & à Diocesana, Regulares simpliciter exemptos esse affirmet, non autem à lege jurisdictionis, deinde ex data distinctione sufficienter indicatur in lege jurisdictionis importari solum ea, quæ pertinent ad jus, quod est pascere, & regere, ut exposuimus num. priori, atque adeo spectent propriè ad agendum cum Diocesanis, tanquam subditis, consequenter relatè ad subjectionem, quam Episcopo debeant omnes in ea Diocesi, nisi speciali privilegio sint exempti; quo fit, jus recipiendi, in quantum scilicet importat alterum jus, nimirum pasci, seu debitum stipendium accipere, consequenter omnia servitia, quæ debentur Episcoporatione sui muneris; non dici relatè ad agendum, quæ sunt pastoralis curæ; sed potius ad recipiendum à suis ovibus, quas pascit.

Ad quartam quæstionem, de qua num. 3434 3429. 13. portionem canonicam, seu quartam funeralem Episcopo solvendam, ex dispositione juris Ecclesiastici, deberi regulatè à qualibet Ecclesia, vel loco pio,

pio, cui pro salute animæ suæ aliquid à Testatore defuncto relictum est, ut constat à *num. 3426.* Dixi *regulariter* (nam sic expressè loquitur Pontifex in c. *Requisisti, de quo num. 3423.*) quia hoc non procedit indefinitè, ac universaliter, & in pluribus meritò limitatur; primò enim hæc non debetur de legatis, quæ relictæ sunt Ecclesiæ, vel loco pio *exempto*, vel si talis Ecclesia, aut locus pius non sit intra, sed extra Diocesim talis Ordinarii; sic Barboſa p. 3. *de potest. Episcopi alleg. 86. num. 10.* & cum eo Innocentius, Abbas, Baldus, Sylveſter, Lopus, Ubalduſ, Miranda, & alii ibidem relati; nam hoc jus Episcopi, & debitum Ecclesiarum constitutum est ob recognitionem superioritatis in Episcopo, quam ei præstant inferiores Ecclesiæ, c. *Conquerente, de offic. ordin. junct. Glossa V. Mortuorum*; vel ob communicationem, quæ reperitur inter Episcopum, & Ecclesias subjectas, c. *Requisisti de Testam.* vel propter onus, quod sustinet in actibus jurisdictionis exercendis pro bono, & cura Ecclesiarum: sed relatè ad Ecclesias *exemptas*, nulla istarum rationum reperitur; non *recognitio superioritatis*, quia ponuntur exemptæ ab illa; 2. non *ratione communicationis inter Episcopum, & exemptas Ecclesias*, vel *cura*, ac spiritualis pabuli, quod Episcopi suis ovibus præstant, quia nihil horum intercedit inter Episcopum, & Exemptos ab illo; ergo.

3435 Confirmatur 1. quia Regulares non obligantur Episcopali lege Diocesana, ut notavimus *num. 3430.* ergo nec pendere Episcopo quartam funeralem de legatis Ecclesiæ suæ factis; nam hujus obligatio fundatur in lege Diocesana *ex dict. à num. 3430.* Deinde Episcopus non recipit quartam ex legatis Ecclesiæ à Testatore factis pro salute animæ suæ, quæ non pertinet ad suam Diocesim; nam erga non subiectum jus Episcopale non porrigitur, sed Ecclesiæ exemptæ non pertinent ad Diocesim Episcopi, à quo sunt exemptæ, ut ostendimus *lib. 1. tit. 1. de Constit. loc. supra cit.* ergo. 3. Si tales Ecclesiæ exemptæ tenerentur Episcopo, seu Ordinario præstare quartam funeralem, utique tenerentur illam solvere, ac præstare Episcopo, & Ordinario suo; non au-

tem, *alieno*; Ecclesiæ autem exemptæ, illum Episcopum, vel Ordinarium, in cuius Diocesi sunt tantum materialiter, non autem juridicè, non recognoscunt tanquam Episcopum, & Ordinarium suum; aliàs non forent exemptæ ab illo; 4. Episcopus neque exigit, neque percipit jura Episcopalia in locis exemptis, c. *Luminoso 18. q. 2. c. Cum Episcopus. 7. de offic. ordin. in 6.* ubi Glossa recepta V. *Exempto*; cum solus Papa dicatur ordinarius Episcoporum Exemptorum c. *Nulla dist. 93. junct. Gloss. ult. ibid. c. Auctoritate. 4. de privileg. in 6.*

Dices: Religiosi, quamvis Exempti, coguntur solvere Ecclesiæ Parochiali, Canonice portionem de omnibus obventionibus, tam funeralibus, quam aliis quibuscunque, & quomodocunque relictis; ergo dicendum similiter de quarta funerali præstanda Episcopo; antecedit patet ex Clement. *Dudum.* de sepulturis §. *Verum*, ibi: *Verum ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, prædicare, seu proponere verbum Dei; & confessiones audire fidelium, debitis, & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur; auctoritate Apostolica constituimus, & ordinamus eadem, ut dictorum Ordinum fratres, de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque, & quomodocunque relictis, distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonice portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis, vel qualitercunque donatis, in morte, seu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis, pro eisdem, quartam partem (quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integrè teneantur. R. 1. ab antecedenti (etiam ut jacet transmissio) non inferri legitime idem de portione Episcopali; textus enim ille non agit de jure Episcopali, sed Parochiali; quod Parochis de-*

betur propter ministerium Sacramento-
rum, & cetera officia pastoralia, ut habe-
tur in §. *verum*, in principio, quæ omnia,
cum Parochus exercuerit in Parochia-
num, quamvis in loco exempto elegerit
sepulturam, non mirum, si *Ecclesie Pa-
rochiali* debeatur quarta illa portio, respec-
tu cuius non deficit, imò etiam viget ratio
debiti; cum tamen circa *jus Episco-
pale*, supposita exemptione, rationes
omnes deficient, ut modo consideravi-
mus. *¶* 2. antecedens salvari, si trans-
mittatur, quoad exemptos solum à lege
jurisdictionis, non autem utraque. *¶* 3.
antecedens sic indefinite prolatum omni-
no fallere, ut constat ex dict. *¶* *num.* 2432.
ubi ex professo egimus de jure Parochiali
quoad quartam funeralem.

3437 Confirmari potest ex decisione Rotæ,
15. Jan. 1618. quam refert Barbosa *cit.*
p. 3. *allegat.* 86. *num.* 17. ubiclare ha-
betur ab exempto Monasterio non deberi
Episcopo portionem Canonicam de lega-
tis; ubi ait: *quævis de jure communi*
ista quarta spectet ad Episcopum, vel
Parochum (Clement. Dudum, de se-
pult. c. 1. & 4. cum aliis eod. tit. c. Cum
quis pariter eod. tit. in 6.) attamen se-
cus est, quando monasterium eximitur
à dicta solutione. In casu autem, de
quo agitur, ne dum prædictum monaste-
rium, sed etiam tota Religio est exempta
à dicta solutione quartæ funeralium, cum
Paulus IV. & Gregorius XIV. dictis Cle-
ricis Regularibus communicaverit omnia
privilegia aliis Regularibus concessa; qua-
re censentur etiam communicata privile-
gia exemptionis à dicta solutione quartæ, in-
ter quæ adest privilegium Julii concessum
Minimis de anno 1506. ac ejusdem
Pontificis concessum minoribus de obser-
vantia anno 1511. sui Pontificatus 8. &
aliud Pauli III. concessum Minoribus an-
no 1544. & postremo aliud Pauli IV. con-
cessum ordini Prædicatorum anno 1556.
quæ per extensum refert Archangelus Ca-
racia de quarta funeralium c. 1. Ad id au-
tem, quod allegatur ex *Trid. sess.* 25. de
Reform. c. 13. *respondimus a num.* 2432.
ubi plura etiam ad questionem præsen-
tem.

3438 Secundo portio Canonica, seu quarta
funeralis non debetur Episcopo de his,
quæ à defuncto relinquuntur pauperibus

Tom. III.

in genere; licenim relinquuntur personis,
non locis piis; ac Episcopus non habet
quartam de relictis, quæ sunt personis, c.
Ex parte. 31. de verb. signific. ubi, cum
Legatus Pontificus constituisset in sua le-
gationis Provincia, quod liceret Prælati
Ecclesiæ de his, quæ ipsis legantur à
decedentibus, tertiam partem exigere, ac
eamdem Constitutionem innovasset ejus
in legatione successor, ac subinde ambo
deklarasset, se non intellexisse, quod de
his, quæ in ornamentis Ecclesiasticis, vel
ad fabricam Ecclesiæ, reparatione indi-
gentis, aut Ecclesiæ luminaria; nec non de
his, quæ pro anniversario, septimo, trice-
simo, ac vicesimo faciendis, vel de his,
quæ personis specialiter, nisi forsitan id
fiat *Ecclesie ratione*, à quocunque legan-
tur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ
Cathedrali: Pontifex dictam interpreta-
tionem approbavit; ibi: *nos interpre-
tationem eorum ratam habentes, se-
cundum ipsam Constitutionem præfi-
tam precipimus observari firmiter,*
inhibentes, ne in prædictis aliquid
*fraudulenter in præjudicium Cathe-
dralis Ecclesiæ procuraretur.* ubi not.
quod in hoc c. expressè solum sermo sit de
portione, seu quarta de his, *quæ Ec-
clesiis legantur à decedentibus*; non
autem, quæ *Personis*, nisi hoc fiat in-
tuitu Ecclesiæ.

Tertio portio Canonica non debetur 3439
Episcopo ab Ecclesiis, quæ privilegio Pa-
pæ eximuntur à solutione quartæ; effe-
ctus enim privilegii, legitime concessi
contra legem eximit ab obligatione le-
gis, tale autem privilegium concessum es-
se pluribus Religionibus, earumque Ec-
clesiis, constat ex *num.* 3437. ergo ab il-
lis Ecclesiis, & omnibus, idem privile-
gium participantibus, nulla debetur Epi-
scopo portio Canonica, seu quarta de
his, quæ ipsis legata sunt à decedentibus.
Quod autem aliqui dicunt, ejusmodi pri-
vilegiis derogatum esse per Concilium
Tridentinum *sess.* 25. de *reform. c.* 13. ad
hoc constat responsio ex dict. *¶* *num.* 2422.
ubi de quarta Parochiali.

Ex dictis sequitur 1. ex Legatis, quæ 3440.
sunt Regularibus *Exemptis* (v. g. P. P.
Carmelitis,) nihil deberi Episcopo. 1. si
fiant personis ratione sui, & non ratio-
ne, vel intuitu Ecclesiæ; 2. esto fiant per-
sonis

Hhh hh

fonis

sonis intuitu Ecclesie exempta; primum constat ex *num.* 3434. quia sunt exempti; deinde ex *num.* 3435. per c. *Ex parte*, ubi clarè dicitur, nihil deberi, si fiant personis, & non fiant intuitu Ecclesie; 3. ex *num.* 3425. secundum etiam constat ex *num.* 3430. sequitur 2. nihil etiam deberi Episcopo ex Legatis, à decedentibus factis Monasterio, Collegio, Ecclesie, vel loco pio *exempto*; ratio est ex *num.* 3434. id, quod etiam procedit de Confraternitatibus exemptis; tunc enim nullus titulus eo ipso, quod exempta sint, in quibus fundetur debitum quarta funeralis ex Legatis, in cas cadit, ut diximus *num.* 3434.

3441 Sequitur. 3. idem dicendum de Ecclesiis etiam subjectis Episcopo, si munita sint privilegio ipsas eximente ab onere solvendi quartam funeralem Episcopo de legatis, tali Ecclesie factis non tantum illis, de quibus loquitur c. *Ex parte* relatum *num.* 3438. sed etiam aliis quibuscunque; privilegium enim eximens à lege, tollit obligationem legis in his, qui per illud exprimentur, de hoc autem privilegio V. dicta à *num.* 3437. si autem legatum aliquod fieret Ecclesie, unita alteri exempta, dubitari posset, an quarta funeralis debeatur Episcopo ex Legato tali Ecclesie unita facto? casus est eventus facilis; cum enim multa sint Monasteria, quibus unita fuerunt plures alia Parochiales, quas Superiores Monasteriorum, vel per suos Religiosos, vel Clericos seculares administrant; si tali Ecclesie aliquid legaretur à Morientibus, quari potest, an ex eo legato quarta deberetur Episcopo? R. si talis Ecclesia, alteri unita, foret exempta à iuribus Episcopalibus, nihil tunc deberi Episcopo, nam ab Ecclesia exempta nihil debetur Episcopo de legatis tali Ecclesie unitis ex *num.* 3434. sed Ecclesia de se non exempta, evadit exempta, si *accessorie* unita exempta ex *num.* 936. & *seqq.* ergo; hoc tamen limitandum est, ut procedat de unione, qua Ecclesiam unitam *jure plenissimo* subjicit Monasterio, nimirum non tantum quoad temporalia, & spiritualia, sed etiam quoad perpetuum; si enim iste adhuc maneat subjectus Episcopo, in talem Ecclesiam videtur cadere titulus, in quo fundatur jus Episcopi re-

ciendi ab ea quartam, de quo titulo egimus à *num.* 3426.

In hac limitatione advertendum, debitum quarta Episcopalis solum habere locum in piis *legatis* tali Ecclesie factis, non autem in *donatis* donatione causa mortis, vel inter vivos; textus enim imponens quartam Episcopalem solum agit de *legatis*. 2. nec habere locum in his, qua cum funere deferuntur ad Ecclesiam, si tumuletur in illa, ut sunt lumina, faces, candela, linreum, si quod ex more Regionis imponatur feretro; nam ista non veniunt nomine *legati*; 3. nec habere locum in illis, qua heredes defuncti liberaliter, *ultra legatum* à Testatore constitutum, offerant Ecclesie; nam sic *donata* non veniunt nomine *legati* à decedentibus facti; 4. nec iis, qua legantur Ecclesie ad certum finem, v. g. ad curanda, vel reparanda ornamenta, vel ad fabricam Ecclesie indigentis, ad luminaria, ad fabricam, vel ad celebranda sacra in anniversario, die septimo, trigesimo, &c. ut expressè decium est in c. *Ex parte*. 31. de verborum significatione, de quo V. *num.* 3435.

Dices I. in textu c. *Ex parte* non dicitur absolute, quartam *non deberi* ex relictis pro fabrica Ecclesie; sed cum addito, nimirum, *Ecclesie indigentis*; ergo ex legato, vel relictis Ecclesie, de *presenti non indigentis*, debebitur quarta funeralis; & ita, ut testatur Seraphinus apud Barbof. in dict. c. *Ex parte num.* 2. censuerunt Hostiensis, Jo. Andr. Ancharanus, & alii. Covarr. existimante, esse communem opinionem; alii existimant, servandam esse formam legati sic, ut servetur *communis sententia*; si testator voluit, ut statim, vel in singulos annos legatum cedat Ecclesie pro reparatione, qua tunc non indiget; opposita autem, si legat, quoties restauratione indigebit; addit Barbosa cit. quartam deberi non tantum in primo casu, sed etiam, si usus sit indeterminatus, & non determinatus perpetuo cultui divino. In hac quaestione dicendum omnino, si constet de mente testatoris, eam adimplendam; Coeterum ubi prudenter dubitatur, an id, quod legaverit, solum pro sublevanda Ecclesie *presenti* indigentia? an etiam *demceps* cum

cum egebit, ut facile contingit, tenendum cum sententia negante tunc debitum quartæ funeralis; cum enim hæc dispositio Testatoris (ut legatum impendatur pro fabrica Ecclesiæ indigentis) sit dispositio pia in favorem Ecclesiæ, & intelligi possit, de fabrica, vel *conservanda*, vel *reparanda* etiam, cum Ecclesiæ tali reparatione indigebit, & textus ab onere quartæ apertis verbis excipiant relicta pro fabrica Ecclesiæ indigentis (non enim faciet fabricam, quâ non indiget, aut indigebit) non debet restringi exceptio tam pia; sed potius ampliari pro omni usu contingentis indigentia, seu cum opus fuerit aliquid fabricare, consequenter in neutro casu locum dari quartæ non tantum Episcopali, sed etiam Parochiali; cum textus etiam de hoc procedat, ut observat etiam Barbosa *cit. an.*

§. 2.

De quarta decimationum, & Cathedralico, seu Synodatico.

3444 **A**D exactiones, quas Episcopi jure sibi competente, dispositione sacrorum Canonum facere possunt, pertinet etiam *quarta decimationum*. Pro explicatione hujus juris supp. 1. quod tempore primitivæ Ecclesiæ, cum Episcopi adhuc essent pauperes, nondum videlicet bonis temporalibus, ut modò, fundationibus piorum hominum in Ecclesias translatis; concessum fuisse sibi semere medietatem de oblationibus Matræ Ecclesiæ factis, ut dicitur c. *Antiquos*. 8. *caus.* 10. q. 1. ibi: *antiquos canones relegentes, priora statuta credimus renovanda, ut de his, quæ in altari; oblatione fidelium conferuntur, medietatem sibi Episcopus vindicet, & medietatem sibi dispensandam secundum gradus, Clerus accipiat, tam de propriis prædiis, quàm de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus.* Subinde autem, posteriori nimirum tempore, tantum ex Parochialibus Ecclesiis haberent tertiam partem oblationum, decimarum, tributorum, & frugum, ut habetur c. *De his*. 7. &c. *Decernimus*. 10. *ead. causa, & quest.* sed tunc habebant annexum onus fabricæ Ecclesiarum, ita, ut secus eam

Tom. III.

exigere non possent, ut aperte constat ex 10. q. 3. c. placuit. 1. & c. Vnio. 10.

Nunc autem, & tempore recentiori, 3445 constitutum est, ut quarta tantum, sed sine onere fabricæ, Episcopis pendatur ex omnibus decimis Ecclesiarum Parochialium sui Episcopatus: constat 1. ex c. *Conquerente*. 16. *de offic. Ordin.* ubi, cum Episcopus Assisimatim, ab Oeconomo Monasterii S. Benedicti, Honorio III. denunciatus, quod juribus Episcopalibus non contentus, quæ in Ecclesiis, seu Capellis ejusdem Monasterii debet habere, à quibusdam earum procuracionem exigit, quas ad dandam procuracionem, minime sufficere proponebat, & exinde Pontifex rogatus esset, ut specificaret, quæ Episcopo ratione juris Episcopalis competere in eisdem? Honorius respondit: *Nos decrevimus, ut in Ecclesiis, seu Capellis tuæ Diœcesis, ad monasterium ipsum spectantibus, habeas canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, & destitutionem, correctionem, & reformationem, ac censuras Ecclesiasticas; jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum Ecclesiasticum, de jure spectantium, pœnitentias, & sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo sunt recipienda, collationem, Synodum, & Synodatici, seu Cathedralici nomine duos solidos; quartam decimationum, & mortuuariorum, visitationem quoque annuam; ita quod, cum ad eas visitandas accesseris, non amplius procuracionis nomine requiras ab eis, nisi quantum (pensatis facultatibus earundem) moderate poterunt exhibere; nec plus Cœteris Capellis ejusdem Diœcesis in procuracionibus onerentur; tu autem his juribus in præfatis Ecclesiis contentus existens, non amplius ab eis exigas præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateranensis Concilii (si manifesta, & rationabilis causa extiterit) cum charitate postulandum, sicut ab aliis Ecclesiis ejusdem Diœcesis pro necessitate temporis sustinemus.* Ubi not. ut rectè observat Rubrica hujus c. per hunc textum declarari, quæ sint jura Episcopalia, tam in agendo, quàm in recipiendo; & inter hæc postrema numerari *quartam decimationum*, cum satis notabili distinctione actuum, qui sunt juris agendorum, & juris recipiendorum,

Hhh hh 2

rum,

rum, quorum illud venit sub lege jurisdictionis; istud sub lege Diocesana.

3446 De eadem quarta decimarum sermo est in c. *Quarta*. 4. de *Præscript.* ibi: *de quarta decimæ, & oblationis defunctorum Clericus ab impetratione Episcopi quadragenali præscriptione temporis se posse tueri videtur;* & in c. *Cum olim*. 19. h. t. ibi: *Abbatem ipsum ad integram solutionem quartæ omnium decimarum, nullis factis deductionibus, & ad præstationem procuratorum, & aliorum Episcopaliurum iurium in prædictis Ecclesiis condemnamus.* Ex his igitur iuribus communiter deducunt Interpretes, quartam decimationum Episcopis deberi ex omnibus decimis Ecclesiarum Parochialium suorum Episcopatum sine ullo onere fabricæ; sic praxis *Episcop. p. 1. V. decimæ. §. 10.* Suarez de *Relig. tom. 1. lib. 1. de divino cultu c. 28. num. 9.* Nec obstat, quod plerique Canones 10. q. 1. & 10. q. 3. Videantur concedere Episcopis tertiam partem, si quidem procedunt attento iure antiquo, secundum quod tertia decimarum dabatur Episcopis *cum onere fabricæ*, & reparationis Ecclesiarum, quam, quia multi negligebant, quarta absque illo onere videtur instituta, quæ præscriptione, vel consuetudine immutari, minui, & augeri potest, secundum omnes, prout dicitur in cit. c. *cum olim*, & c. *Conquerente*.

3447 Per *Cathedraticum* autem intelligitur certa portio, quam Episcopus exigere potest à Presbyteris sibi subiectis, dispositione sacrorum Canonum ei danda in *recognitionem subiectionis*, & *reverentiam Cathedralæ*, hoc est dignitatis Episcopalis, & Ecclesiæ Cathedralis; & quoniam quandoque solvi consuevit in synodo, etiam *Synodaticum* vocari solet, c. *Cum olim*. 19. de *cenfibus*. De hoc agitur in c. *Conquerente*, de quo superius, & in c. *Pastoralis* 7. de donationibus, ubi, cum Episcopus Helienfis quæsiuisset ex Innocentio III. an, si Episcopus, consentiente Patrono viris Religiosis aliquam Ecclesiam concedendo, hac utatur simplicitate verborum (*concedimus vobis illam Ecclesiam*) utrum eo ipso videatur in eorum usum fuisse concessa, vel jus tantummodo Patronatus? Respondit Innocentius: quod si Episcopus Ecclesiam illis conferat de con-

sensu Patroni, profecto Patronus, quod suum est, conferre videtur, jus videlicet Patronatus, & Episcopus, quod temporaliter obtinet in eadem; ut, si fructuum Ecclesiæ ejusdem aliquam recipiat portionem, in eorum usus illa portio convertatur. Quod si ex ipsius proventibus nullam debeat portionem habere, omnes proventus (*præter cathedraticum*) in eorum usus creditum convertendos; sed ut Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus.

Circa istam portionem cathedraticam dubitari potest 1. quæ sit ejus taxa, seu quantitas iuris dispositione? 2. an debita sit etiam ultra procuraciones? 3. an possit augeri? 4. an abrogari consuetudine? 5. an contra illam præscribi? 6. an ab Episcopo temitti? 7. an ad eam etiam teneantur Regulares? Ad 1. R. Constare ex cit. c. *Conquerente* (ut habetur in textu *n. seqq.*) esse duorum *solidorum*; sed solidorum valor non idem ubique, sed varius est juxta diversam Provinciarum taxationem; unde Pereyra in *Elucidario n. 816. Aureus, & solidus*, inquit, in iure idem sunt omnino, colligens id ex §. finali *Instit. de pœnis* temerè litigant. & libram auri confici 72. solidis; ex *L. Quoties. C. de suscept.* & arca; sed in his attendi debet consuetudo rationabilis, & legitima quoad taxationem in qualibet Ecclesia Cathedrali, ut monet Zerola in *Praxi Episc. v. jus Cathedraticum. §. 5.*

Ad 2. R. quod sic; constat ex c. *Conquerente*, ubi referuntur tanquam debita distincta, & diverso titulo exigi solita; *cathedraticum* in recognitionem subiectionis; *procuraciones*, titulo annuæ visitationis; sic *Gloss. inc. 1. & c. Inter cœtera*. 10. q. 3. Ad 3. R. posse, inducta consuetudine, tradi à Barbof. *p. 3. de potest. Episcopi al. leg. 86. n. 43.* sed hoc accipere non aliter, nisi legitime inducta, servatis nimirum iis, quæ necessaria sunt, ut consuetudo pro lege recipiatur, quod non contingit, si augmentis ejusmodi quandoque cogantur submittere colla sua Clerici, plus æ quò gravati, cujus clarum exemplum habetur in c. *Inter Cœtera*. 10. q. 3. Ad 4. per consuetudinem posse videtur introduci, respondet Zerola *cit. p. 1. V. jus cathedraticum. §. 4.* non tamen penitus abrogari, vel præscribi, penitus tollendo, ex quo etiam constat ad 5. Cœterum cum hoc debitum sit iuris tan-

tum Ecclesiastici (etsi forte subiectio, quam superioribus, & Prælatibus Ecclesiasticis à subditis sic præscribi non possit, ut nulli omnino subsint, c. *Nulla ratione, dist. 93.*) videtur tamen posse respectu hujus determinati, & simpliciter quoad recognitionem per alicujus pensionis præstationem; ad 6. negativè responderet Abbas in c. *Venerabilis. 24. de Censibus n. 3.* at in hoc textu id non dicitur; sed solum, quòd Ecclesia etiam Civitatis teneatur procurare Episcopum visitantem; & quamvis in cit. c. *pastoralis* dicatur, esto per Episcopum aliqua Ecclesia pleno jure liberata daretur Regularibus, adhuc non censeri remissum cathedraticum, & hoc non venire in generali dispositione; non tamen dicitur Episcopum id non posse remittere, si exprimeret specificè illius remissionem; ad 7. R. quòd non, per c. *Inter cætera. 10. 3.* ubi postquam exactiones Episcoporum, quas à Parochialibus Presbyteris Gallia faciebant, reprobatae sunt, & statutum ne ultra duos solidos sibi exigant, subiungitur: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione se junctis.*

§. 3.

De subsidio charitativo.

3450 **S**upponend. Episcopis concessam esse facultatem à subditis suis colligendi quandoque aliquod subsidium, seu auxilium pecuniarium, ex rationabili, & manifesta causa; constat 1. ex c. *Cum Apostolus. 6. de censibus §. prohibemus* ibi: Prohibemus etiam, ne subditos suos tallis, & exactionibus Episcopi gravare præsumant, *sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt* (ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit) *cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare;* cum enim dicat Apostolus, *non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis;* multum longe à paterna pietate videtur, si *Prepositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus, Pastoris debent more fovere;* *Archidiaconi vero, sive Decani, nullas exactiones, sive Tallias in Presbyteros, seu Clericos exercere præsumant;* ubi not. per tallias, vel tallas intelligi vectigal aliquod, vel similes pensiones, ut notat Pereyra in *Elucidar. n. 1273.* Hujus subsidii petendi facultas Epi-

scopis concessa reperitur in c. *Conquerente 16. de offic. ordin. relato supr. n. 3449.* item in Clement. 1. de excessibus Prælatorum. §. *in exigendo*, ibi: *in exigendo insuper ab ipsis* (nimirum Regularibus exemptis) *ipsorumque subditis, subsidia charitatis excedunt nimium contra eos, & insolitas, ac indebitas ipsis contra jura exactiones imponunt: novos census, & indebita onera Parochialibus imponunt Ecclesiis, in quibus exempti jus obtinent patronatus. &c.*

Not. autem hoc subsidium, secundum 3451 Hostiensem, & alios, in cit. c. *Conquerente* vocari *charitatis* auxilium, quia à principio ex charitate peti debebat, non per vim extorqueri, ut colligitur ex c. *Ex parte*, de censibus, & appellatur *subsidium*, quia sicut *subsidiaria actio* datur, quando deficit propria, & specialis actio, ut in *S. fin. Instit. ad L. Aquil. & in S. fin. ubi Gloss. Instit. de interdicit.* ita hoc subsidium petitur, quando reditus propriae Ecclesiae non sufficiunt pro oneribus incumbentibus; non obstante autem, quòd hoc subsidium dicatur *charitatis*, consequenter non *justitia*, vel alterius obligationis; ubi tamen subsistit manifesta, & rationabilis causa illud exigendi, poterit Episcopus sibi subiectos, indebitè reluctantes, ad id præstandum, etiam per censuras compellere, ut tradunt Doctores communiter apud Barbi. *cit. n. 4.* ubi enim ejusmodi manifesta, & rationabilis causa urget, charitas obligat ad succurrendum, non minus, quam tempore necessitatis cum Eleemosynam indigentibus; his permisis:

Prima quæstio est, quibus concessum sit 3452 exigere subsidium charitativum? id concessum esse Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, ex cit. c. *Conquerente*, & c. *Cum Apostolus, §. prohibemus*; quod verum est etiam de Episcopis *electis solum, & confirmatis*, esto nondum consecratis, cum hæc facultas non fundetur in potestate ordinis. 2. Capitulo sede vacante, per Glossam in c. *Cupientes, §. ad hæc, de Elect. in 6. V. aliunde*, 3. Cardinalibus in Ecclesiis suorum titularum, ubi Episcopalia jura obtinere. c. *Querelam, de Elect. 4.* Legatis Papæ, quibus commissum est officium plenæ legationis in sua Provincia; nam in hac possunt omnia, quæ illius Episcopi. 5. Prælatibus Episcopo inferioribus, jure

Hhh hh 3 com-

communi non concedi; secus privilegio, si quod habent, vel consuetudine, quamvis Barboſa *cit. n. 29.* cum Calderino cenſeat, Præpoſitum totius ordinis Regularis, poſſe huiusmodi ſubſidium petere à Monafteriis ordinis ſui pro ſumptibus neceſſariis ad gubernationem ordinis; ſi aliunde ratione Præfecturæ non habet bona, quæ ad hoc onus ſuſtentandū deſtinata ſufficiant. Not. autem Archiepiſcopū, Patriarchas, & Primates à Clericis ſuæ provinciæ (qui ſunt extra ipſius Dioceſim) non poſſe exigere ſubſidium charitativum; ſic Azor *cit. c. 14. q. 5.* Episcopum autem, quando à Clero ſuo exigere vult charitativum ſubſidiū, debere facere *cum conſilio Capituli ſui, & etiam ipſorum Clericorum*, per text. in c. *Novit*, & in c. *quanto*, de his quæ fiunt à Prælatiſ. Not. 2. Vicario generali non concedi hanc facultatem ſine ſpeciali mandato Episcopum, ac proinde in generali mandato, quod accipit à ſuo Episcopum, hanc non contineri; ſic Azor *cit. q. 5. V. Vicarius*; ſecus eſt de Coadjutore dato Episcopum à Papa, vel Eccleſia Cathedrali, per c. *Is, cui, de Elect. in 6. & c. ſu. de ſupplend. neglig.*

3453 Altera quæſtio eſt, ex quibus cauſis exigi poſſit ſubſidium charitativum? & quòd non, niſi cauſa ſit manifeſta, & rationabilis, ne nimirum coeteroquin ſubditi graventur plus, quàm par eſt, ut conſtat ex c. *Conquerente* cit. c. *Cum Apoſtolus, §. prohibemus* & c. *Inter Cœtera*, de quo in ante dictis. Quanam autem dicatur manifeſta, & rationabilis cauſa quoad intentum? nihil in iure definitur, adeoque arbitrio Iudicis relinquendum exiſtimat Gloſſa, V. *rationabiles*, in dict. *§. prohibemus*. Coeterum rationabilis cauſa, dictum ſubſidium exigendi ſecundum Doctores communiter cenſetur 1. ſi urgeat ſolutio debitorū, quæ contraxit Episcopum pro iure ſuæ Eccleſiæ defendendo, non ſolvendorum comodè ex bonis Eccleſiæ; ſic Immoſa in cit. c. *Conquerente*. Deinde, ſi Episcopum fecit magnas expenſas in negotiis comunibus pertractandis ſuæ Dioceſis; Innocent. in c. 1. de ſtat. Monach. tertio, ſi Episcopum iter facere debeat ad Papam, Cæſarem, vel Regem ob commune bonum, vel totius Eccleſiæ, vel ob bonum ſuæ Eccleſiæ, aut Dioceſis; ſic Ancharanus Clem. 1. de Exceſſib. Prælator. quarto ſi Episcopum emit rem magni momenti ad conſervatio-

nem ſuæ Eccleſiæ neceſſariam, ſic Immoſa in cit. c. *Conquerente*.

Quinto, ſi Episcopum viſitet limina Apoſtolorum, ut juſjurandum impleat. c. *Ego enim, de Jurejur. & coll. ex c. ea, que de cenſib. ſexto* ſi iter facere debeat ad Concilium generale, c. *Placuit diſt. 18. quod extendit Innoc. cit. in c. 1. de ſtat. Monach.* ſi ire debeat ad Concilium provinciale; ſeptimo, ſi fecit expenſas alicujus momenti in adventu Imperatoris, Regis, vel Principis, præſertim, ſi ab eo habeat regalia; quo tamen caſu ſubditi non debent nimium gravari. Archidiacon. in c. *unic. 10. q. 21.* Advertendum tamen, non ſufficere cauſam *efferationabilem* ſecundū ſe, ſed, requiri ſimul, *eſſe manifeſtum*, quòd hic & nunc in re adſit talis cauſa; quare, ubi ſolummodo dubium, aut incertum eſt, dari talem cauſam, qua juſtificetur petitio, dubia ſolum, & incerta eſt obligatio ſubveniendi charitativè.

Sub opinione eſt, an Episcopum hoc ſubſidium iure poſſit exigere, ſi fecit expenſas ad ſolvendam annatam, quæ ſolvi conſuevit, cum Episcopum, vel Antifiteſ promovetur? aut, cum fecit expenſas ad electionem ſuam in Curia Romana proſequendam? In hac quæſtione aliqui affirmant, aliqui negant apud Azor p. 2. l. 9. c. 14. q. 4. *§. dubia quæſtionis negantem*; niſi conſuetudo exigendi pro tali caſu ſit recepta, vel bona Episcopum ad ea non ſufficiant pro annata: de expenſis autem litis res magis ambigua eſt, ſi enim impugnetur electio, nondum habet juſ certum.

Tertia quæſtio eſt, à quibus perſonis ſubſidiū charitativum poſſit exigi? & poſſe regulariter tantum à ſuis ſubditis, ut conſtat ex iuribus relatis à n. 3452. quo nomine veniunt Clerici, & Eccleſiæ ſuæ Civitatis, ac Dioceſis, non autem Laici, 10. q. 3. c. *quia cognovimus* ibi: *quia cognovimus, Episcopum per Parochias ſuas, non Sacerdotaliter, ſed crudeliter deſervire, & dum ſcriptum ſit* (forma eſt otæ regi, neque ut dominantes in Clero) *exactiones Dioceſi ſuæ, vel damna infligant, ideo cenſemus*, (excepto, quòd veterum conſtitutiones à Parochiſ habere jubent Episcopum) *ut alia, que illis hucusque præſumpta ſunt, denegentur*, hoc eſt, *neque in angariis Presbyteri, aut Diaconi, neque in aliquibus fatigentur indictionibus;*

bus, ne videamur in Ecclesia Dei Exactiones potius, quam Dei Pontifices nominari; hi vero Clerici tam locales, quam Dioecesani, qui se ab Episcopo gravari cogoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant; & Metropolitanus non moretur ejusmodi presumptiones coercere.

3455 2. non veniunt Regulares, & Monasteria; nam exactio charitativi subsidii est de lege Dioecesana, & non jurisdictionis, ex dict. à n. 3431. & tenet Barbof. p. 3. de potest. Episc. alleg. 87. n. 45. & cum eo Bellacini. in tract. de subsid. charitat. q. 28. Cochier de jurisd. ordin. in exemptos p. 1. q. 25. n. 8. & alii; sed Regulares, & Monasteria exempta sunt à lege Dioecesana; defumunt hoc aliqui ex 16. q. 1. c. Ne pro cuiuslibet. 37. sed ibi de hoc non est expressè sermo, alii ex c. 1. de statu Monachorum, ubi Gregorius Pontifex ad Archi-Episcopum Neapolitanum: *alicui monasterio, inquit, nec tu, nec Presbyteri tui, præter diligentiam discipline, aliquid molestie inferatis; aut, si quid illic pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis; cum Monachis sibi servientibus debeat proficere, quid quid à fidelibus taliter offerri contingit.* Cæterum clarius id ostendimus l. 1. tit. 1. a. n.

3456 Dices: in Clemente 1. & 2. de censibus, dicitur: *Religiosos debere solvere jura Episcopalia, & subire onera, nisi se tueri possint speciali privilegio Pape, & consuetudine;* ad hoc respondet Barbofa cit. ibi sermonem esse de monasteriis habentibus Ecclesias Seculares sibi subjectas, quæ Ecclesiæ, antequam monasterio subicerentur, solvere consueverant Episcopo tale subsidium charitativum, & alia jura Episcopalia; ac proinde censetur unita Monasterio cum suo onere, cum quo transivit res, c. Pastoralis, de decim. c. quia Monasterium, de relig. domib. pro quo ibidem refert P. Azor p. 2. l. 9. c. 14. q. 6. Cochier cit. n. 9. r. 2. nec in prima, nec in secunda Clementina de Censibus sermonem esse de subsidio charitativo, sed de procurationibus in visitatione; Cæterum, quod spectat Ecclesias unitas Regularibus, qualiter illæ teneantur ad jura Episcopalia præstanda, diximus à n. 3441.

3457 3. Subsidio charitativo non est locus relate ad personas, & Ecclesias exemptas;

cum exigi possit solum à subditis, quod maxime procedit, si exemptio sit data cum plena libertate; id enim importat exemptionem non modò à jurisdictione, sed etiam ab omnibus, quæ sunt de lege Dioecesana, inter quæ charitativum subsidium numeratur, ut supra dictum est, sic Bellencinus cit. q. 32. n. 8. Cochier q. 9. n. 1.

Præter hæc not. Episcopis non esse facultatem exigendi subsidium charitativum à Clericis, nullum beneficium Ecclesiasticum habentibus; esto sint opulenti in bonis patrimonialibus; cum illud subsidium debeatur solum ex bonis Ecclesiasticis; nec à Clericis inopià pressis, & pauperibus, (censentur autem pauperes, qui ex suis beneficiis nihil habent, nisi commodum, & honestum victum, alias enim nimium gravarentur) nec à Clericis habentibus quidem beneficium, sed nullos ex illo fructus ex temporum injuria, vel simili causa secus est, si fructus non habeat suâ culpa v. g. propter excommunicationem, vel suspensionem; sic Azor cit. §. quid item. si autem duo litigent de beneficio, liberum est Episcopo subsidium exigere, à quo maluerit; sed si is, qui solvit, vincatur ab adversario, jure compensationis uti poterit, & ab altero tantum repetere, si locus sit compensationi, existentibus nimirum circumstantiis ad hoc requisitis.

Et quoniam hoc subsidium solvi debet Episcopo à personis Clericorum, ratione suorum beneficiorum, juxta dict. c. Conquerente, & c. Cum Apostolus (ut tradunt communiter Navarrus in tit. de Censibus, Sayrus in Floribus, eod. &c.) inferri potest, quòd ex fructibus, oblationibus, & elemosynis, quæ dantur ad opus fabricæ, non solvatur decima, neque subsidium; quia ista non sunt fructus beneficiorum; arg. L. in agris, ff. de acquir. rerum domin. nec percipiuntur per beneficiatum; sed, per deputatum ad opus fabricæ; ita Extravag. unica. §. de Elemosynis, de decimis, ubi Glossa V. beneficiorum.

Quæstio ulterior est, an Rector Ecclesiæ, habens in una Dioecesi suam Ecclesiam, & in altera suas possessiones, & prædia, solvere debeat subsidium Episcopo, in cujus Dioecesi est Ecclesiæ; r. quod sic; nam hujus titulo debetur subsidium à Clerico ex dict. sup. si autem Papa alicui assignet pensionem ex alieno beneficio cum immunitate

ab onere *subsidii*; totum subsidium præstat Rector beneficii; præsumitur autem hæc immunitas, si eam assignet in alimentis; hæc enim immunitas sunt à Contributionibus; sic Azor cit. *§. si queras*. Quoniam autem quandoque causa communis pietatis eriguntur domus hospitales, de his etiam queri potest, an Episcopus jure ab illis exigere possit subsidium? *v. 1. posse*, si habeant titulum beneficii Ecclesiastici. 2. non posse, si sine auctoritate Episcopi erecta sint, quia sic sunt domus laica; 3. si erecta sint auctoritate Episcopi, & sint hospitalia Ecclesiastica, non tamen beneficia, probabilius est, non posse; nam solum *jus visitandi* non facit *jus exigendi* subsidium; cum etiam hospitalia laica, saltem post mortem Fundatoris, visitare possit Episcopus, quando in ipsa fundatione non exclusus est, ut notat Puring de *Relig. domib. n. 26.* & tamen ab illis subsidium exigere non possit.

3461 Quæstio altera est unde solvendum sit hoc subsidium? *v. quod tantum ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum*; non autem ex distributionibus quotidianis; nam hæc, nomine fructuum, seu reddituum Ecclesiasticorum non veniunt, teste Barbol. de *offic. Episcopi alleg. 84. n. 44. per fructus* autem intelliguntur redditus, quos Clerici percipiunt ex suis beneficiis; & sub his non venire distributiones quotidianas, de quibus fit mentio c. *licet de præbend. & vocantur manualia beneficia c. olim. de verbor. signific. item victulia c. de cætero. de cleric. non resid.* sunt portiones, quæ debentur quotidie Clericis beneficiariis eò, quod statim horis interfint officii divinis. Unde nomen habent ex eo, quod pro certarum horarum varietate in singulos quotidie distribuuntur, ita, ut qui Missæ interest, certam sibi fructuum portionem vendicat; qui matutinis, aliam certam; & sic de reliquis, ita tradit Pereyra in *Elucid. n. 1310. §. obventionum*, ubi distinguit has à distributionibus simpliciter, dicens: *distributionum* appellatione absolute venire anniversaria defunctorum, ut tenet Moneta tract. de *distrib. p. 1. q. 3. n. 12.* Secus *distributionum* appellatione, ut docet Tuschus tom. 2. lit. *D. conclus. 511. num. 2.* quid quid in oppositum dicant multi apud Barb. *appell. 75. num. 2.* Quotuplices

sunt hujusmodi distributiones? late explicat Azor *p. 2. lib. 7. quæst. 3.*

Ex his de dicitur, hoc subsidium solvendum esse ex Capellanis, quæ sunt beneficia Ecclesiastica, non autem debentur ex Capellania Laica, licet possideatur à Clerico; quia ejus proventus non sunt redditus *Ecclesiastici* per se, sed tantum per accidens, ratione personæ, ut not. Castropal. *22. 13. D. 1. p. 6. num. 1.* nam alias ex omnibus bonis vinculatis, ratione Missarum, deberetur subsidium, licet non sint bona ullius Ecclesiæ. 3. debentur ex Capellanis Ecclesiasticis etiam ad nutum amobilibus (quia earum bona sunt per se Ecclesiastica, seu verè sunt bona Ecclesiæ) esto fundator dispoverit, ne solvatur subsidium, sic Garcia apud Castropal. cit.

ARTICULUS III.

De Procuracionibus.

3462 Tertia pars Rubricæ hujus tituli est de *procuracionibus*, quo nomine veniunt ex expensæ, quæ præstari debent illis Prælati, quibus ex officio incumbit visitare Ecclesias, sive seculares, sive Regulares. Cum enim visitantes, spiritualia feminent in utilitatem Ecclesiarum, quas visitant, meritò ab eisdem præstantur procuraciones, & temporalia in sustentationem; nam, qui spiritualia seminar, non est magnum, si metat carnalia, seu temporalia, cum nemo cogatur suis stipendiis militare, juxta Apost. 1. ad Corinth. 9. & habetur etiam in c. *Cum ex officii. 16. de præscript. de quo c. dicemus à infra.*

§. Unicus.

An, & qualiter solvi debeant procuraciones, & quid veniat hic nomine illarum?

3463 Ante resolutionem not. 1. *procuraciones* non præstari in pretium correctionis, aut visitationis, hoc enim foret simoniacum, cum illi actus sint actus jurisdictionis spiritualis, sed tanquam debitum stipendium laboris, & alimentorum, quamvis enim Prælati, quorum est visitatio activa, habeant sufficientes redditus aliunde

ex suis beneficiis, & dignitatibus, ut de suo possent facere impensas in visitationibus necessariis; ut tamen magis alluciantur ad eas sedulo peragendas (ne, quod subinde fieri posset; metu sumptuum à se faciendorum, in opere tam salutari, esto ex officio ad id teneantur, minus diligentes sint) jure constitutum est, procuraciones esse solvendas ab Ecclesiis per ipsos visitandis; sic esto Canonici teneantur aliunde ad divina officia suæ Ecclesiæ; ut tamen solertius ad ea certis temporibus compareant, constitutæ illis sunt distributiones quotidianæ, ultra reditus sui beneficii, ut jam supra dictum est, & tradit Abb. in c. cum ex officio 16. de Præscript. n. 9. & c. Procuraciones. 23. h. t. n. 5. quibus positus:

3465 Dicendum Procuraciones in visitationibus Ecclesiarum ab his omnino solvendas esse, de jure communi, prout habetur in c. Cum Apostolus. 6. h. t. c. Sopita. 14. eod. ubi dicitur, quod Archiepiscopus, visitans provinciam procurari debeat etiam à Monasteriis, intellige ipsius visitationi subjectis, c. cum instantia. 17. eod. ubi habetur, omnes Ecclesias, nisi, quæ ad hoc per privilegium Apostolicum sunt exemptæ, ad procuraciones teneri Legatis Sedis Apostolicæ, seu illius Nuntiis; similiter in c. Cum olim. 19. eod. dicitur, quod Ecclesiæ teneantur Episcopo, (in cujus diocesi sunt) respondere de procuracionibus; c. Procuraciones. 23. eod. quod Prælati tunc sint procurandi, cum personaliter visitant, & debent tunc servare Concilium Lateranense, & prædicationi, correctioni, & reformationi, vacare; Legati, & Nuntii Apostolici pro his diebus tantum, pro quibus moram trahunt, procurari decet, & contra hanc constitutionem exactum, restituitur duplicatum; c. venerabili. 24. eod. quod Ecclesia etiam Civitatenlis teneatur procuratore Episcopum visitantem; quanquam ipsum nunquam procuraverit. c. Cum nuper. 25. quod, qui jure metropolitano, vel legationis, visitat provinciam, in provinciales, qui sibi procuraciones denegant, possit ferre sententiam. c. auctoritate. 27. eod. quod, propter privatum oratorium, procuratio, ratione visitationis, non debeatur.

Tom. III.

Ex his juribus deducitur ulterius, 3466 procuraciones ab Ecclesiis, tempore visitationis solvendas, debere esse moderatas, ne plus æquò graventur Ecclesiæ; & ideo Prælati visitantes certum numerum equorum, & evectionum excedere non debent pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum; nec sint onerosi subditis; & Archiepiscopi non excedant numerum 40. vel 50. Episcopi 20. vel 30. Cardinales 25. Archidiaconi 5. vel 7. Decani 2. nec ducant canes venatorios, nec sumptuosas epulas quærant, sed accipiant, quæ honeste, & competenter ministrantur, & in omnibus quærant Christum; ut dicitur in c. Cum Apostolus cit.

Huic Constitutioni Concilium Trid. 3467 Seis. 14. de reform. c. 13. addidit monitionem valde Salutarem his verbis; que, ut facilius, feliciusq. succedant, monentur prædicti omnes, & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paternâ charitate, Christianoq. Zelo, omnes amplectantur; ideoque, modesto contenti equitatu, famulatuque studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere; interimq. caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint; Consideravit nimirum Concilium, quandoque revera graves excessus à visitantibus Ecclesiis factos esse, prout Pontifex ipse insinuat in dict. c. Cum Apostolus, ibi; grave nimis esse dignoscitur, quod quidam Prælatorum ita in procuracionibus graves existant, ut interdum Ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora consumat.

Quæri per accidens hîc potest, 3468 quare in dicto c. Cum Apostolus, Cardinalibus, Ecclesias suas visitantibus, pauciores equi concedantur in comitiva, quàm Episcopis? Respondet Gambar. de offic. & potest. Legati de Latere, Lib. 7. n. 126. apud Barbof. in cit. c. Cum Apostolus, n. 4. Cardinales antiquitus per humiliora charitatis opera se exercuisse, & usque ad tempus Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis; quia utebant non licere descendere à majori dignitate ad minorem; & usque ad Clem. III. qui floruit anno Domini 1190. ea dignitas non

nisi Monachis, & Abbatibus, Decanis, aut Prioribus conferebatur, ut tradunt cit. per Cened. ad Decretal. collect. 115. n. 1. & præcipuè Marfil. Columna de Ecclesiast. re. orig. p. 2. c. 13. à n. 33. Sic ille.

3469 Deducitur 2. tempus, intra quod visitatio peragi debeat, non esse jure definitum; cum una Ecclesia uno die visitari queat; alia verò visitari non possit tribus, quattuorve diebus; vel propter ipsius plebis latitudinem, vel propter negotiorum multitudinem; quare boni viri arbitrio relinquuntur judicandum; quanto tempore durare debeat visitatio, ut docent surdus de aliment. tit. 4. quæst. 22. num. 8. Azor instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 6.

3470 An alteram in titulo §. propositam quæstionem & nomine procuratorum visitationibus præstandarum hinc intelligi *visitabilia*, quæ scilicet pertinent ad victum, hoc est *cibum*, & *potum honestum*, & *sufficientem* pro ipso Visitatore, ejusque moderato Comitatu; & pabulum pro equis ac jumentis, quibus utitur; in quibus suppetidandis consuetudo patriæ, seu Provinciæ, facultates subditorum, qui visitantur, & Visitoris conditio spectanda est, Azor p. 2. Instit. l. 3. c. 42. q. 7. §. *quæres*; Zerola in praxi Episc. p. 1. V. *Visitatio* ad dub. 6. Secus est de vecturis equorum, aut jumentorum, Sarcinas deferentium, nisi visitator sit Prælati à Summo Pontifice delegatus: tunc enim solvi debent mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut ab uno loco ad alium transire commode possit; Azor. cit. l. 3. q. 8. Barbof. de offic. Episc. alleg. 73. n. 57.

3471 Præter hæc quæri potest 1. an loco *visitabilium* in visitationibus possint visitatores exigere pecuniam? 2. an Visitatores uno die possint recipere plures procuraciones, si plura loca visitaverint? 3. an aliquid ultra *visitabilia* exigere? quæ non absumentur in loco visitationis, sed alio transportentur? 4. an Notarii visitantium pro Scriptura in visitatione confecta? Ad 1. & de hoc agi in 10. q. 1. c. *Relata* 9. quod desumptum est ex Concilio Toletano, ubi habetur querela, quod sint quidam Episcopi, nolentes ad prædicandum, vel ad con-

firmandum, suas per annum Parochias circumcurrere, qui tamen exigunt, ut mansiones, quibus in processione uti debuerant, aliquo pretio redimant, qui parare debebant; & demum subjungitur, à PP. ibi congregatis statutum esse, ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium; & ut Sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandi; idque propterea, quod illud contineat duplicem infamiam, negligentiam, & avaritiam, & ideo olim ab invitis non licebat pecuniam exigere, ut constat ex n. seq. Cæterum si visitati potius in pecunia dare voluerint, quod necessarium juxta vires, & facultates Ecclesiæ fuerit pro visitationis factæ procuracionibus, id permittitur, ut habetur in c. *Felicis*. 3. h. t. in 6. mox referendo.

Ad 2. & negativè, ex dicto c. *Felicis*, ubi Bonifacius VIII. postquam retulit à Gregorio X. Prædecessore suo, prohibitum fuisse in Concilio Lugdunensi, ut haberetur c. 2. h. t. in 6. ne aliqui, ob procuracionem sibi ratione visitationis debitam, exigere pecuniam præsumerent, vel etiam recipere à volente; postea verò experientia docente ex hoc tam personis visitantibus, quam locis, & Ecclesiis visitatis multa incommodorum dispendia provenire, concessisset, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii, quibus ex officio competit visitare, à volentibus Ecclesiarum, & locorum visitorum Rectoribus, seu personis pecuniam licitè recipere valeant, pro sumptibus moderatis faciendis in *visitabilibus*, diebus, quibus visitationis officium personaliter exercebunt. Subjunxit, quod non liceat visitanti, nisi unam procuracionem recipere una die, siue unum locum solum visitaverit, siue plura, etiamsi locus quilibet visitatus ab illo, sufficeret ad procuracionem integram persolvendam; cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis *spiritualia* subministrat: Cætera verò in ejusdem Prædecessoris constitutione contenta in suo voluminis robore perdurare. Ad 3. & quod non, intellige ex debito; nam procuraciones non extendunt se, nisi ad *visitabilia* necessaria in loco visitationis, ut dict. est. ad 4. & posse accipere justum stipen-

stipendium à visitatis, ratione decretorum, & ordinationum in visitatione factarum, quas expedit, si non sit de familia visitatoris, nec salarium ex publico habeat, nec consuetudo habeat, vel statutum decernat, ut gratis officium præster in visitationibus, nam licet etiam ordines gratis conferri debeant, Notario tamen solvitur stipendium pro Scriptura, quâ fidem facit de Collatis Ordinibus, si Salarium non habeat ex publico. Navarr. lib. 3. consil. 1. h. t. Zerola in praxi V. visitatio. dub. 4.

3473 Quæri potest 5. an liceat visitantibus accipere munera à visitatis? de hac quaestione plura constituit Innocentius IV. in c. Romana. 2. h. t. de quibus infra; ad præsentem autem quaestionem sic loquitur in cit. c. 2. §. Procuraciones: *caveat insuper (visitator) ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, & qualitercumque offeratur, præsumat recipere, ut non, quæ sua sunt, videatur querere, sed quæ Jesu Christi; quòd si fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam (nisi duplum restituat) liberetur; volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.* Quoniam verò hoc decretum Innocentii IV. non servabatur, in illo Capitulo, quo præceperat procuraciones in victualibus, non in pecunia recipi, & non recipi munera, nec etiam procuraciones in victualibus à locis non visitatis illam confirmat, pœnas adjiciens Gregorius Decimus ut habetur in c. Exigit. 2. eod. in 6. ait ibi: *Constitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris nostri, editam super non recipendis in pecunia procuracionibus, ac super receptione numerum visitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam maiorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter observari, eam decernimus pœnæ adjectione juvandum, statuentes, ut universi, & singuli, qui ob procuracionem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, vel aliàs constitutionem ipsam, recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso procuracionem in victualibus, aut aliquid aliud procuracionis occasione vio-*

Tom. III.

lare præsumperint, duplum ejus, quòd receperint, Ecclesia, à qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur; alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Ecclesia sentiant interdictum; inferiores verò ab officio, & beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura. Post utramque Constitutionem primam Innocentii IV. alteram Gregorii X. Bonifacius VIII. in illis immutavit prohibitionem, ne procuraciones in pecunia reciperentur, & posse accipi, concessit ut notavimus ex c. Felicis n. præced. Cætera verò in ejusdem prædecessoris constitutione contenta in suo voluit robore perdurare.

Cætera verò, quæ continentur dict. c. Romana, circa quæ Bonifacius nihil immutavit, sed præcepit in suo vigore permanere, quando Ecclesiæ visitantur, sunt seqq. 1. quòd Archiepiscopus, volens Provinciam visitare, prius debeat visitare Ecclesiam, Civitatem, & Diocesim propriam Clericos, & Laicos eorundem. Secundò, quòd visitatâ suâ Diocesi Archiepiscopus in parte, non in totum visitet omnia loca Ecclesiastica, Clerum, & populum provincie, procuracionem à visitatis recipiendo; tertio, quòd Archiepiscopus, post inceptam visitationem in una Diocesi, transiens ad aliam, ad primam redire non possit, nisi de novo reiteret in tota provincia; quarto, quòd expedita visitatione non reiteret illam Archiepiscopus sine Consilio suffraganeorum, & definitione in scriptis prius facta; debet tamen recipere ab illis, qui in prima non fuerant visitati; quinto, quòd Archiepiscopus visitans debeat proponere verbum DEI, inquirere de vita Ministrorum, & de pertinentibus ad divinum officium absq. juramento, in famatos ordinatis denuntiet, & notoria crimina puniat. Sextò, quòd hanc visitandi formam visitationis præmissam servare debeat in Episcopis, & aliis Prælati inferioribus, Regularium con-

lii ii 2 factu-

fuctudinibus exceptis; nam de his, quæ continentur in §. *Procuraciones*, diximus superius.

3475 Circa hæc Not. 1. quædam in hoc c. *Romana* statui, quæ concernunt solum *Archiepiscopum*, quando visitat suam Provinciam; qualia sunt, quæ habentur in initio dicti c. tum in §. *Deinde*, §. *Ex quo*, §. *Postquam* §. *Archiepiscopus*; quædam verò, quæ *Communia sunt omnibus Ordinariis*, visitantibus Ecclesiis sibi subjectas; qualia sunt, quæ habentur in §. *Procuraciones*, & §. *hanc autem*; quæ n. præced. retulimus. Quam potèrò penam incurrant Visitatores, quando visitant ratione sui officii, & malè (seu contra sacrorum Canonum prohibitionem) constat ex c. *Exigit*. 2. h. t. in 6. de quo supr. n. 2473. Quòd autem hodie visitatores possint recipere procuraciones etiam in pecunia volentibus visitatis (cujus contrarium olim constitutum erat in c. *Romana*, §. *Procuraciones*) constat ex c. *Felicis* 3. eod. in 6. de quo in præmissis, & Trid. Sess. 24. de Reform. c. 3. verf. *fit sum in optione*; ubi addit Barbof. in dict. c. *Felicis*. n. 2. Visitatorem tunc teneri recipere pecuniam in ea specie.

3476 Not. 2. numerum procuracionum commensurari debere numero dierum, quibus durat visitatio, nec eorum numerum excedere, ut notat Hostiensis in c. *Procuraciones*, 23. h. t. V. *numerus Procuracionum*; ubi etiam dicitur, circa Legatos, & Nuntios Sedis Apostolicæ, adhibito hoc moderamine quoad præstandas illis pensiones, etiam extra visitationem procedendum esse, ut, cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter illos nimium aggravetur, *procuraciones recipiant moderatas, ab aliis Ecclesiis, vel personis, quæ nondum fuerant de suis procuratoribus aggravata*, ita quod numerus procuracionum, numerum dierum, quibus hujusmodi moram fecerint, non excedat; & cum aliqua non suffecerit, per se ipsam, duæ, vel plures conjungantur in unam.

3477 Not. 3. Prælati, qui exigunt procuracionem, quando ipsi personaliter non visitant, constitutam esse jure canonico hæc penam, ut non tantum restituant

totum id, quod à tali Ecclesia receperunt; sed etiam tantundem, adeoq; duplum, ut dicitur in cit. c. *Procuraciones*, §. *porrò*, ibi: *Porrò visitationis officium exercentes, non querant, quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi, prædicationi, & cohortationi, correctioni, & reformationi vacando, ut fructum referant, qui autem contravenire tentaverit, & quod accepit, reddat, & Ecclesia, quam taliter aggravavit, tantundem impendat, de qua pœna dupli, & aliis insuper adjectis, agitur in c. *Exigit*. 2. eod. in 6. relato superius.*

Dices: in dictis casibus constitutam esse penam quadrupli c. *Quoniam*. 7. Dist. 18. ibi: *Porrò non habeat Metropolitanus licentiam ex his, quæ deferri Episcopus secum, sive jumentum, sive aliam speciem expetendi; quod, si hoc egisse convictus fuerit, solvat quadruplum*. Sed ibi agi de casu, non visitationis Ecclesiarum, de qua aliquid aufert Episcopus ex his, quæ secum deferit, dum proficiscitur ad Synodum provincialem.

Not. 4. dum dicitur, *non posse ab Episcopo remitti jus procuracionis debita in visitatione*, intelligendum esse non posse in perpetuum, & ex toto, sic ut deinceps nulli eas præstare teneatur, non autem, ut hic, & nunc, dum ipse visitat, & sponte, de suo expensas facit, nolens gravare Ecclesiam visitandam; ratio prioris est, quia obligatio præstandi procuraciones visitandi, est juris publici, cui pactis privatorum derogari non potest. L. *jus publicum*. 38. ff. de pact. & Gloss. in Clem. 2. h. t. V. *Compositiones*.

Not. 5. Si in aliquo loco, vel Dicecesi de procuracionibus, & aliis servitiis, Episcopo præstandis, nihil certum statutum esset, in iis ordinandis attendendam esse consuetudinem aliarum Ecclesiarum; Cum enim Compostellanus Archiepiscopus Pontificem consulisset, cum tere tota provincia Compostell. de novo sit ad jurisdictionem Ecclesiæ suæ conversa, qualiter provinciam, vel partem provincie visitanti obsequi debeat, & servire, nec non in procuracionibus providere? respondit Pontifex, quòd *illud observare teneatur, quod in vicinis provinciis observatur*; sic c. *super*.

c. super. 22. h. t. ex quo præterea deducitur, quod consuetudo vicinorum locorum in dubio sit servanda, ubi non adest particularis, & specialis, ut notat Barbola in dict. c. Super n. 2. cum Boë-

rio, Cavalerio, Rebuffo, & aliis ibid. relatis. Dici etiam hoc loco posset de jure visitandi quibus competat? & quorum locorum? sed de hoc infr. V. titulum. 26. supr. de Relig. Domibus.



QUÆSTIO XL. IN TIT. XL. DE CONSECRATIONE ECCLESIE, VEL ALTARIS.

3481 **I**N hoc titulo non est sermo de consecratione Eucharistica, seu Sacramentali, quam facit Sacerdos in sacrificio, vi verborum, nomine, ac in persona Christi panem & vinum transubstantiando in corpus, & sanguinem Christi, DEI ac Domini nostri; sed de illo actu, quo res aliqua DEO dicatur: hinc universim consecratio hic idem est, ac solemnis DEO dedicatio: & quamvis propriissime consecrari dicatur Episcopus: Ordinari vero Clericus. c. 2. §. diebus. de feriis: tamen consecrationis appellatione comprehenditur etiam ordinatio quorumcunque ordinum c. penitentes, dist. 55. &c. nulli, dist. 54. imò consecrandi verbum potest etiam competere monialibus, c. sanctimonialis, dist. 23. Ecclesie porro fundatæ, constructæ, ac doratæ, secundum antiquam Ecclesie consuetudinem consecrari solent; ritus autem, consecrandi Ecclesie, habetur p. 2. Pontificalis Romani sub Clem. VIII. postea recogniti ab Urbano VIII. Consecratio igitur Ecclesie, vel altaris, est solemnis ejus dedicatio, facta Deo à legitimo Ministro, cum intentione canonica & intervenitu debita materia, ac forme: ut constabit ex seqq.

ARTICULUS I.

De Consecratione Ecclesie.

3482 **A**ctum consecrandi Ecclesiam, esse actum ordinis Episcopalis; non autem inferioris, deducunt aliqui ex c. Nemo. 9. dist. 1. de Consecrat. ibi: nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præveniat, qui ædificare volet, que ad luminaria, &

ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant: & ostensa donatione, si domum ædificet, & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesie sancta aqua conspergat, deinde ex c. nullus 15. ibi: nullus Presbyter missas celebrare præsumat, nisi in sacris ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotis: ex neutro tamen solidè hoc sequitur, cum c. Nemo (quod desumptum est ex CC. Aurelianensi) loquatur de his, quæ faciendæ sunt ante ædificationem; & c. Nullus (quod est Sylvestri Papæ in generali Synodo dicentis) missam non esse celebrandam in loco ab Episcopo non sacro.

Videtur tamen rectè colligi ex c. 3483 Aqua. 9. h. t. ubi Gregorius IV. Astoricensi Episcopo scribens, ait: *Aqua, per Episcopum benedicta, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provincie Bracharen. (qua dicenda est potius corruptela) quia, licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt: quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est, hætenus per eisdem, misericorditer toleramus.

Ex hoc c. deducitur. 1. quòd reconciliare Ecclesiam (intellige consecratam, propter seqq.) non possit ab Episcopo committi simplici Sacerdoti, nimirum non Episcopo; cum sit ordinis Episcopalis, ut dicitur in textu; bene tamen alteri Episcopo: per dict. c. Aqua, ibi: *reconciliari posse per alium Episcopum non negamus; an autem Summus Pontifex,* possit